Ac.

ACTA UNIVERSITATIS LUNDENSIS.

LUNDS UNIVERSITETS ÅRS-SKRIFT.

TOM. XX.

1883—84.

PHILOSOPHI, SPRÅKVETENSKAP OCH HISTORIA.

LUND, 1883—84.

FR. BERLINGS BOKTRYCKERI OCH STILGJUTERI.

DISTRIBUERAS GENOM C. W. K. GLEERUPS FÖRLAGSBOKHANDEL I LUND.

Tom. XX utgifves i 4 Afdelningar: I. Theologi.
II. Rätts- och Statsvetenskap.
III. Philosophi, Språkvetenskap och Historia.
IV. Mathematik och Naturvetenskap.

ACTA UNIVERSITATIS LUNDENSIS.

LUNDS UNIVERSITETS ÅRS-SKRIFT.

TOM. XX.

1883—84.

LUND, 1883—84.
FR. BERLINGS BOKTRYCKERI OCH STILGJUTERI.
DISTRIBUERAS GENOM C. W. K. GLEERUPS FÖRLAGSBOKHANDEL I LUND.

LUNDS UNIVERSITETS ÅRS-SKRIFT.

TOM. XX.

FÖR LÄSÅRET 1883—84.

III.

PHILOSOPHI, SPRÅKVETENSKAP OCH HISTORIA.

Innehåll:

(Afdelningen för Philosophi, Språkvetenskap och Historia.)

I. Studia Pindarica, scripsit *Aug. Heimer* (pag. 1—150).

II. Acta Universitatis Lundensis. Lunds Universitets Årsskrift. Tom. I—XX. Årg. 1864—84. Systematisk Innehållsförteckning.

Studia Pindarica.

Scripsit

AUG. HEIMER.

I.

De digammo Pindarico.

Plus jam centum annos de digammo in græca lingua latente, qua fuerit natura, quomodo sit pronuntiatum, quam late patuerit, num in contextu carminum addi debeat, diligenter et copiose disputarunt viri docti, quorum de græca lingua cognita maxima fuerunt merita. Multas in disceptationes res est vocata variæque sententiæ prolatæ sunt. Alii aliter modum sæpe transierunt; neque enim desunt, qui ad versus poetarum græcorum digamma pertinuisse prorsus negaverint et in tota hac de digammo instituta quæstione laborem et vires frustra consumpta esse arbitrati sint, neque, qui vim hujus literæ postea omissæ latius patuisse censuerint. Hodie autem in multis hujus quæstionis partibus certa quædam assecuti sunt viri docti; nonnulla tamen etiamnunc sub judice sunt Omnino his temporibus ambigitur, qua fuerit natura digamma, utrum pro vera consona habendum sit, cujus sententiæ auctores sunt Curtius, Clemm, Leskien, Knös, alii, an modo consonæ, modo vocalis vicibus sit functum neque semper aut elisionem præcedentis vocalis prohibuerit aut brevem et per consonam exeuntem syllabam produxerit, quam sententiam probare studet Hartel. Quamquam nihil habeo, quo sperem me ad exitum rem perducere posse, neque quibus alii aliis nitantur rationibus eas hic proferre et in examen vocare operæ pretium futurum esse credo, tamen meum arbitror esse quid de tota hac re sentiam jam in initio profiteri.

Sicut Hartelio (Homerische Studien [1] III: 78) ita mihi quoque persuasum est, digamma in lingua græca olim veram consonam fuisse et consonantis vicibus functum esse. Neque vero minus credibile mihi videtur, digamma iis ipsis temporibus, quum carmina Homerica scriberentur, monumentum quasi antiquæ vocum appellationis fuisse et naturam veræ consonæ amittere incepisse, id quod et e locis, ubi ante voces a digammo olim incipientes vox antecedens eliditur, brevis syllaba positione non producitur, diphthongus corripitur, apparere videtur, et inde quod apud Homerum syllabæ breves per consonam in arsi exeuntes nisi ante stirpem pronominalem *σϝε*, aliis rationibus adjuvantibus, vi digammatis non producuntur. Satis constat digamma deinde magis magisque vim consonæ amisisse, quamquam nos omnes hujus infirmationis et exstinctionis gradus per omnia linguæ spatia persequi non posse valde dolendum est. Neque tamen tota hæc res obscuritate est involuta; ex reliquiis poetarum græcorum et ex inscriptionibus etiamnunc aliquatenus nobis videre licet, quantum quasi spatium singulis temporibus digamma confecerit ejus viæ, quam in carminibus Homericis id jam ingressum esse apparet. Apud Hesiodum et in Hymnis Homericis, qui vocantur, vis digammi imminuta est; apud Pindarum exempla digammi omissi plura sunt quam efficacis. Apud poetas elegiacos et iambographos positionem digamma non efficit (cujus exempla apud Pindarum ipsum in dubium vocata sunt); apud poetas atticos digamma rarissime solum hiatum prohibet. — Quum igitur constet inde a temporibus Homeri magis magisque vim digammi evanuisse, quo modo hoc factum esse credendum sit, quæri potest. Knös, qui digammo naturam fuisse veræ consonæ probare studet, putat digamma plane evanuisse i. e. non esse pronuntiatum, ubicumque in versu ante vocem a digammo olim incipientem aut elisio sit admissa aut non producatur syllaba brevis et per consonam exiens aut diphthongus (sive longa vocalis) corripiatur. Hartel autem (III: 56) contendit et in carminibus Homericis et apud poetas æolicos $\overline{F}$ his locis et scriptum et appellatum esse, sed ita ut metrum nullum aut consonæ aut vocalis vestigium prodiderit. Tota igitur disceptatio est, num digamma post elisionem, brevem syllabam, diphthongum correptam sit appellatum. Hartel, ut post brevem syllabam appellatum esse digamma demonstret, duas affert causas. Primum enim ascribit locum illum Priscianeum, quem ab omnibus fere, qui de

[1] Commentationis Hartelianæ prima et altera partes in Act. Acad. Litt. Imp. Vindob. tom. sexagesimo octavo (pp. 383—468) et septuagesimo sexto (pp. 329—376), tertia autem in exemplari separatim impresso mihi præsto fuerunt.

digammo scripserunt, prolatum videmus; in quo et elisionis et brevis per consonam exeuntis syllabæ ante digamma positæ exempla inesse contendit. Sed exemplum, quo demonstratum vult Hartel, digamma non prohibere, quominus syllaba brevis per consonam exiens brevis remaneat, conjectura sola nititur; quem ratiocinandi modum optimo jure Knös [1] p. 324 vituperat. Altera causa, qua credibile putat Hartel digamma potuisse brevem syllabam in arsi non producere, e rationibus metricis est repetita. Collegit enim e nonnullis poetis græcis vocabula, in quibus necesse sit ι et υ pro consonis habeamus, quamquam syllaba antecedens positione non producitur (III: 14, 18, 19). Quam rem credo Hartelium recte intellexisse; jure suo in comparationem vocat latinum *qu*, ante quod syllabam brevem manere satis constat. Exempla ab Hartelio allata augeri posse infra ostendemus.

Difficilior est quæstio, num ante digamma elisio admitti potuerit. Argumentum, quod ex loco illo Priscianeo sibi petivit Hartel, prorsus prætereo, quod num omnino ϝειρήναν dici potuerit, valde dubitari potest; vide Knös. p. 323, Giesium [2] pp. 184—188, Leskien. [3] p. 45. Neque Hartel conatus est contra Giesium demonstrare in fronte vocis εἰρήνα digamma fuisse. Majoris autem momenti est altera quam affert causa. Knös ipse (p. 60) observavit, imperfectum verbi ἰάχειν (uno loco excepto) semper longa uti vocali, sed his formis semper præmissas esse voces elisione deminutas. "Quod," inquit, "quum casu accidisse vix crediderim, haud scio an evanescens spirans consona ad vocalem producendam valuerit." Quod deinde Hartel acute ita explicat, ut digamma in vocalem υ transiisse et cum ῐ vocali stirpis imperfecti in diphthongum coaluisse contendat; μεγάλ' ἴαχε igitur e principio appellatum esse μεγάλ' οἴαχε. Ad hæc tamen est animadvertendum, digamma in vocalem transire et cum sequente vocali contrahi non potuisse nisi ante vocalem ι; quo fit ut ad ceteras elisiones non sufficere videatur hæc explicandi ratio. Quod enim Hartel contendit digamma post brevem vocalem elisam sonum habuisse vocalis vocali sequentis vocis quasi obiter præmissæ [4], certis argumentis non est demonstratum.

---

[1] O. V. Knös: De digammo Homerico Quæstiones. Upsaliæ (I 1872, II 1873, III 1878).

[2] Alb. Giese: Ueber den Æolischen Dialekt. Berlin 1837.

[3] Rationem quam I. Bekker in restituendo digammo secutus est examinavit A. Leskien. Lipsiæ 1866.

[4] "Wie ein vocalischer Vorschlag des nächsten Vocals wird es (dig.) auch in dem Falle geklungen haben, wo ein vorausgehender kurzer Vocal durch Elision verhallte." (Hartel III: 82).

Quod deinde fit, ut ante voces, quarum stirpes a digammo incepisse satis constat, sæpe diphthongi (apud Homerum longæ vocales sexies) corripiantur, Hartel ipse (III: 8.) confitetur, hanc correptionem explicari non posse, si a digammo sequentem vocem incepisse statuamus. Nihilo minus Hartel (III: 33) suo modo scribit ἆλτο καὶ ὑπαχε, neque re vera video, quid prohibuerit, ne Hartel etiam post diphthongos correptas eadem uteretur medela atque post vocales elisas.

Quamquam Hartel Knösium, Curtium, alios vituperat, quod, quum digamma modo appellatum et vicibus consonæ functum, modo non pronuntiatum esse contenderent, carminibus Homericis linguam tam variam et permixtam obtruserint, cujus nihil umquam simile reperiri possit [1], nescio an et ipse eodem nomine possit vituperari. Etiam apud Hartelium duo illa remanent, quæ inter se conjungi non possunt, etiamsi in iis significandis aliis utitur nominibus. Knös docet, digamma modo pronuntiatum esse, modo plane evanuisse; Hartel contendit, digamma sæpe in versu efficax fuisse, nonnumquam autem neque consonæ neque vocalis naturam prodidisse. Digamma Hartelianum non minus varium et mutabile est atque Knösianum: modo hiatum prohibet, modo elisionem admittit; nunc syllabam præmissam positione producit, nunc brevem eam remanere patitur. — Nihilo minus autem Hartelium studiis suis subtilissimis et multis rei metricæ quæstionibus lumen attulisse et in natura digammi Homerici investiganda verum vidisse, mihi quidem persuasum est.

Hæc in universum.

Quum constet, dialectum epicam fundamentum quasi esse sermonis Pindarici, nullam movet admirationem, Pindarum sicut poetas elegiacos et iambographos subsidiis iis usum esse, quæ in versibus condendis poetis epicis præsto fuerunt. Nam id credo pro certo statuere licere, Pindarum digammi usum magis ex epicæ poesis imitatione quam ex dialectis suæ ipsius ætatis assumpsisse. Constat enim Pindarum sermone patriæ prorsus abstinuisse; in dialecto autem Lesbiaca digamma jam mature evanescere coepit (in titulis, qui exstant, nullum digamma traditum est); neque in carminibus Pindari (præter illud αἰϝάνα)

[1] "Sie bringen durch diese Hypothese eine Buntscheckigkeit in die Homerischen Gedichte, die, nun erst in ihrem vollen Umfang erkannt, in keiner Dichtung irgend einer Zeit oder eines Volkes etwas Analoges haben dürfte." III: 77.

vestigium ullum est earum immutationum, quibus digamma apud poetas Lesbiacos affectum esse constat. Ad doricam Pindari sermonis partem digamma referre eo ipso prohibemur, quod, unde hauserit doricas figuras Pindarus, ignari sumus. — Digamma autem in versibus Pindaricis nonnumquam vim suam retinuisse primus, quantum equidem scio, ostendit Augustus Boeckh. Satis constat, jam antiquitus versus Pindaricos in cola, quæ dicuntur, distributos esse et hoc modo scripta carmina ad nostram fere ætatem exstitisse. Initio autem sæculi hujus Aug. Boeckh ostendit, et antiquos illos, quum tritiora cola et usitatiora versuum genera captarent, in colis distributis sæpe errasse et his versiculis substitutis ipsam numerorum Pindari majestatem læsam et imminutam esse; cola igitur in versus majores conjunxit Boeckh. Qui quum, huic operæ deditus, quas leges in versibus condendis secutus esset poeta Thebanus, investigare studeret, observavit, multos in medio versu hiatus vi "æolicæ literæ" sanari. Digamma igitur in his vocibus ponit Boeckh: *ϝάναξ, ϝανάσσω, ϝανδάνω, ϝεῖδομαι, ϝεῖδος, ϝειδώς, ϝέϊκοσι, ϝεἰπεῖν, ϝέλπίς, ϝοικώς, ϝέπος, ϝέργον, ϝέρξας, ϝεσπέρα, ϝέτος, ϝῆθος, ϝηχώ, ϝιδεῖν, ϝίδοις, ϝίσημι, ϝίσος, οϝί, ὅς, οϝίζω* (N. 10: 5), *οϝίκος;* et hoc modo quadraginta quinque hiatus sanari contendit, præter "innumeros locos", ubi *οϝί* sequatur (de Metr. Pind. pp. 309, 310). Qui numerus postea est auctus. Ut Peter plus quam sexaginta exempla (præter *οϝί*) enumerat, et Hartel (III: 80) digamma quinquagies quinquies ante *οϝί*, sexagies quater ante alias voces ad hiatum tollendum valuisse ostendit. Ipse centies undequadragies digamma vim suam ostendisse puto. Tycho Mommsen primus in contextum (majoris suæ editionis) digamma induxit; cujus exemplum secutus est Christ in editione, quæ anno 1873 in publicum prodiit. Minore autem in editione Mommsen ad vulgarem scribendi rationem rediit.

Rationes metricæ, quibus ad digamma Pindaro attribuendum adducimur, tres sunt:

1. Digamma tollit hiatum post brevem vocalem.
2. Digamma prohibet, ne diphthongus vel longa vocalis antecedens corripiatur.
3. Digamma efficit, ut syllaba brevis et per consonam exiens in thesi [1] positione producatur.

---

[1] In nominibus thesis arsisque interpretandis Westphalium, Knösium, Alexandersonium sequor, qui ad antiquam loquendi consuetudinem regressi thesim eam pedis partem nominant, quæ ictu est instructa, arsim eam, quæ ictu caret.

Hoc loco aptum mihi videtur de hiatu et de diphthongorum sive longarum vocalium correptione, quæ in carminibus Pindaricis occurrunt, disputare. Et primum quidem de hiatu verba faciamus.

Quam late apud Pindarum hiatus pateat, alii aliam protulerunt sententiam. Ut Alexanderson [1] p. 11 Pindarum secundum Homerum ceterosque poetas epicos plurima hiatus exempla præbere contendit. Prorsus aliter Peter [2] p. 27: "Pindarus", inquit, "hac epicorum poetarum dictionis licentia parce utitur neque ullum quod excusatione careat exemplum admittit." Cui assentitur Mommsen Suppl. [3] p. 167: "veri hiatus", inquit, "tam pauca exempla sunt, ut ferme nullus videatur." Hermann [4] autem pp. 6, 7, multa hiatus exempla enumerat; eximendi tamen sunt primum omnes loci, ubi a digammo vocem insequentem incepisse hodie satis constat; deinde aliquot locis hiatus summotus est aut lectionibus melioribus majoreque codicum auctoritate probatis aut alia versuum distinctione; de quibus vide Boeckh. de metr. Pind. p. 311. Boeckh igitur quattuor solos hiatus agnoscit (ante nomina propria), qui sunt: Ol. 5: 11 *τε Ὤανιν*, Ol. 7: 78 *τε Ἰάλυσον*, I. 1: 8 *ἁλιερκέα Ἰσθμοῦ*, 28 *Ποσειδάωνι Ἰσθμῷ*; quibus Hartel (III: 79) adjunxit Ol. 5: 18 *ῥέοντα Ἰδαῖον*, Ol. 9: 112 *δαιτὶ Ἰλιάδα*. — Mommsen (Suppl. ad Ol. 9: 98) voces quæ sunt *Ἰάλυσος, Ἰλιάδας, Ἰσθμός, Ἰδαῖος* a digammo incepisse conjectat. Idem vir doctissimus (Suppl. ad Ol. 13: 34) de hiatu Pindarico universo sententiam suam protulit; ad quem proxime accedens ea, quæ ipse annotavi, iam breviter exponam.

Satis constat, in græca lingua concursum vocalium licitum esse, quum prior vocalium natura longa in arsi breviter sit dicta; de qua correptione mox plura faciemus verba. Deinde hiatus licitus est post apostrophen; fortasse hæc ipsa res argumento est, sonum vocalis elisæ non prorsus evanuisse. Hoc modo post vocalem apud Pindarum eliduntur *ᾰ* bis et vicies, *ο* septies, *ε* quater. — Tum animadvertuntur aliquot dativi sing. primæ et secundæ declinationis, qui ante vocalem mensuram longam retinent. Certa sunt Ol. 3: 30 *Ὀρθωσίᾳ ἔγραψεν*, Ol. 6: 82 *γλώσσᾳ ἀκόνας*, N. 6: 22 *Ἀγησιμάχῳ υἱέων*, I. 1: 14 *Καστορείῳ ἦ*, I. 1: 53 *Ἡροδότῳ ἔπορεν*, Fr. III: 10: 1 *ᾇ ὀλίγον*. Ol. 9: 98 *αὐτῷ Ἰολάου* sine dubitatione huc adnumerarem, nisi productionem diphthongi alio modo ex-

[1] A. M. Alexanderson: Grekisk Metrik. Holmiæ 1877.

[2] G. A. Peter: De dialecto Pindari. Halis Saxonum 1866.

[3] Hoc scribendi compendio significo librum Mommseni, qui inscribitur "Annotationis criticæ supplementum ad Pindari Olympias." Berolini 1864.

[4] G. Hermann: De dialecto Pindari observationes. Lipsiæ 1809.

plicare melius mihi videretur. Minus certa sunt hæc exempla: P. 11: 47 *Ὀλυμπίᾳ ἀγώνων*, ubi omnes codices *τ'* interponunt, quod retinet Bergk; N. 10: 5 *Αἰγύπτῳ ὅπα*, conjectura Hermanni; N. 6: 21 *Σωκλείδᾳ ὃς*, conjectura Triclinii, ubi Mommsen (Suppl. p. 166) etsi dubitanter proponit *Σωκλείδᾱ'* (pro-*αο*); P. 5: 10 *εὐδίᾳ ὃς* et conjunctivus *ἐπιβρίσῃ* P. 3: 106, conjecturæ Mommseni; Ol. 1: 100 *βροτῷ. ἐμὲ*, quod deterioribus nititur fundamentis codicum quam *βροτῶν. ἐμὲ;* Ol. 13: 41 *Τερψίᾳ ἕψοντ'*, ubi in nonnullis codicibus interpositum est *θ'*; Ol. 9: 83 *ἀρετᾷ ἦλθον*, conjectura Mommseni, quam improbant omnes codices; Ol. 12: 2 *Ἱμέρᾳ εὐρυσθενέ'*, quod suo jure damnavit Hermann; P. 1: 70 *υἱῷ ἐπιτελλόμενος*, ut videtur scholiasta legisse; tamen contra Boeckhium *υἱῷ τ'*, quod est in codicibus, defendi potest; N. 8: 18 Mommsen cum sequente versu in unum vult conjungere (propter *ἀΐσσει σοφοῖς* v. 40): *Κύπρῳ. ἵσταμαι;* quod fieri posse non negaverim. Neque enim prohibet, quod in arsi illa diphthongus est posita, nam certum diphthongi in arsi productæ exemplum est I. 1: 14 *Καστορείῳ* (omnia cetera exempla in thesi leguntur); accedit, quod post *Κύπρῳ* sequitur magnum interpungendi signum. (Ol. 13: 65, ubi Mommsen legit *βασιλεῦ; ἄγε δὲ φίλτρον*, neque de versuum distributione, neque de lectione satis constat). — Apparet in his dativis non verum esse hiatum sed quodam modo mitigatum. Qua ratione autem explicandi sint, non satis convenit inter viros doctos. Boeckh (Not. Crit. ad Ol. 7: 2 et de Metr. Pind. p. 102) ad vim thesis et cæsuræ has productiones trahendas esse censet. Sed hoc modo non explicatur I. 1: 14 (N. 8: 18); Ol. 3: 30 (13: 41, P. 11: 47) non est in dactylica sed trochaica (epitritica) thesi. Jure suo Mommsen (Suppl. p. 167): "Tota", inquit, "de hiatu quæstio non in numerorum sed in vocabulorum natura vertitur." Mommsen ipse credit, iota, quod nunc his dativis subscriptum videmus, elisum esse, "ut *ῳ* et *ᾳ* (*ῃ*) — id est *ω' α'* (*η'*) — hiatum non facerent." Sed iota raro solum eliditur. Utut hæc res se habet, dignum mihi videtur, quod animadvertatur, inter Homerum et Pindarum similem quandam intercedere hujus rei rationem. Apud Homerum Hartel (II: 333) ostendit et *ῳ, ω, ῃ, η* multo sæpius in thesi ante vocalem produci quam *ευ, ου, αι, οι, ει*, et *αι, οι, ου, ει* multo sæpius in arsi ante vocalem corripi quam *ῳ, ω, ῃ, η* (II: 331), et ad *αι, οι, ει* in thesi ante vocalem producenda sæpius vim interpunctionis accedere quam apud *ῳ, ω, ῃ, η* (II: 352). Plane eadem est ratio apud Pindarum, quamquam, ut par est, in numeris multo minoribus versamur. Pro *ῃ* apud Pindarum ponimus *ᾳ*. De correptione diphthongorum et longarum vocalium mox loquemur; diphthongorum *ῳ* et *ᾳ* in thesi ante vocalem productarum

supra attulimus exempla; levioris terminationis in thesi dactylica ante vocalem productæ unum præbet Pindarus exemplum I. 7: 56 *ἀοιδαὶ ἔλιπον* (fortasse etiam Fr. XI: 23: 3 *δέδοται, ὄθεν*). P. 9: 79 *καὶ Ἰόλαον*, 11: 60 *διαφέρει Ἰόλαον* certe, N. 3: 34 *καὶ Ἰωλκὸν* fortasse ad digamma revocanda sunt. — Deinde particula *ἤ* ter longa servatur ante vocalem: I. 6: 8 *ἢ ἀμφί*, 9 *ἢ ἀμφ'* (utroque loco in anacrusi), 10 *ἢ ὅτε* (in thesi dactylica). Mommsen his tribus locis Pindaro figuram epicam *ἦέ* obtrudens contra omnes codices *ἦ* scribit. Sed etiam apud Homerum Hartel (II: 348, 359, 361) animadvertit, particulam *ἤ* præcipuo quodam jure præditam videri mensuram longam retinendi et hiatum efficiendi. Ad Pindarica exempla particulæ *ἤ* productæ nolui numerare I. 1; 14 *ἢ Ἰολάου'*, quum digamma hujus vocis mihi certum videatur, sed annotandum est, hoc loco disjunctionem productione antecedentis syllabæ (*Καστορείῳ*) graviter esse significatam. Cujus rei causam credo Hartelium [1] acute perspexisse.

Quamobrem, quum Ol. 5: 18 *ῥέοντ' Ἰδαῖον* defendi posse putem, vocibus *Ἰόλαος* et *Ἰλιάδας* digamma attribuendum esse censeam, de *Ἰωλκός* (N. 3: 34, P. 4: 188) idem suspicer, septem sola restant apud Pindarum hiatus exempla: Ol. 7: 78 *τε Ἰάλυσον*, I. 1: 8 *ἁλιερκέα Ἰσθμοῦ*, 28 *Ποσειδάωνι Ἰσθμῷ*, I. 5: 5 *αὖτε Ἰσθμοῦ*, Fr. IX: 1: 7 *λεξοῦντι Ἰσθμοῦ*, Ol. 5: 11 *τε Ὤανιν* (quæ omnia non desunt qui ad digamma revocanda esse censuerint), Ol. 5: 16 *εὖ δὲ ἔχοντες*, ubi non credo hodie quemquam cum Savelsbergio [2] II: 18 "certissimum digammi indicem" inventurum esse, faciles autem correctiones in promptu sunt.

Hac igitur quæstione ad finem perducta restat, ut de diphthongis et vocalibus longis ante vocalem correptis disseramus. Quam quæstionem Hartel in initio tertiæ Studiorum partis tam copiose et acute jam attigit, ut nobis nihil fere reliquum sit quam ut numeros, quos attulit, corrigamus et augeamus. Apud Pindarum ante vocalem corripiuntur:

αι: octogies in particula quæ est *καί* [Ol. 1: 31, 4: 25, 5: 8, 24, 6: 92, 7: 7, 58, 66, 8: 47 (bis), 69 (bis), 9: 14, 23, 59, 82, 10: 15, 62, 91, 11: 19, 13: 7, 81, P. 1: 1, 94, 100, 2: 51, 3: 90, 4: 164, 174, 194, 254, 272, 8: 28, 56, 57, 9: 22, 37, 40, 63, 64, 88, 113, 10: 17, 22, 11: 9, N. 1: 17, 32, 2: 1, 3, 3: 54, 61, 4: 75, 5: 7, 6: 49, 54, 66, 7: 101, 10: 31, 47, 77, 11: 2, 7, 23,

[1] — "man wird es nicht in Abrede stellen wollen, dass die Häufigkeit dieser Erscheinung bei disjunctivem *ἤ* darin begründet ist, dass die scharfe Scheidung der durch das Oder getrennten Begriffe in der durch eine wenn auch noch so kleine Pause bewirkte Abgränzung der Töne ihren passendsten sinnlichen Ausdruck empfängt". II: 359.

[2] I. Savelsberg: de digammo ejusque immutationibus dissertatio.

I. 1: 2, 42, 50, 4: 4, 16, 6: 32, 7: 5, 59, Fr. I: 4: 3, IV: 4: 1 (bis), XI: 4: 1, 48: 3, 48: 8, 110: 2, 133: 1 (bis)] et in aliis vocibus ter et quadragies: Ol. 2: 92 *αὐδάσομαι ἐνόρκιον*, 6: 86 *πίομαι, ἀνδράσιν*, 8: 86 *εὔχομαι ἀμφί*, P. 2: 4 *ἔρχομαι ἀγγελίαν*, N. 4: 35 *ἕλκομαι ἦτορ*, 5: 16 *στάσομαι. οὗτοι*, 9: 29 *ἀναβάλλομαι ὡς*, Fr. VII: 4: 12 *ὀλοφύρομαι οὐδέν*, IX: 2: 9 *τάκομαι, εὖτ'*, Ol. 8: 53 *ἔσσεται οὐδέν*, Ol. 13: 95 *ἐπέσσεται ἑξηκοντάκι*, P. 2: 74 *τέρπεται ἔνδοθεν*, 4: 273 *γίνεται ἑξαπίνας*, 293 *εὔχεται οὐλομέναν*, 8: 93 *αὔξεται· οὕτω*, 9: 49 *ἔσσεται, εὖ*, 56 *δέξεται εὐκλέα*, 59 *τέξεται, ὅν*, 12: 29 *φαίνεται· ἐκ*, N. 3: 71 *διαφαίνεται, ὧν*, N. 5: 37 *νίσεται Ἰσθμόν*, 7: 16 *εὕρηται ἄποινα*, 11: 13 *παραμεύσεται ἄλλων*, I. 3: 86 *γίνεται, ἰσχύος*, Fr. IX: 2: 3 *κυμαίνεται, ἐξ*, X: 2: 3 *λείπεται αἰῶνος*, X: 4: 2 *δέξεται, ἐς*, N. 7: 20 *νέονται. ἐγώ*, Fr. X: 3: 2 *πωιῶνται ἐν*, N. 5: 52 *φθέγξαι ἑλεῖν*, P. 2: 60 *γενέσθαι ὑπέριερον*, 9: 119 *ἀπάγεσθαι, ὅς*, 12: 18 *ἔμμεναι. ἀλλ'*, N. 4: 79 *ἔμμεναι. εἰ*, 5: 1 *ἐργάζεσθαι ἀγάλματ'*, 10: 58 *ἔμμεναι οἰκεῖν*, Fr. III: 10: 1 *ἔμμεναι, ᾗ*, XI: 69: 4 *δεικνύναι· εἰ*, Ol. 14: 2 *λαχοῖσαι αἵτε*, Fr. IV: 4: 2 *κλειναὶ Ἀθᾶναι*, Ol. 4: 6 *παῖ, ὅς*, N. 2: 18 *Τιμοδημίδαι ἐξοχώτατοι*, I. 2: 1 *πάλαι, ὦ*.

οι tricies: Ol. 2: 83 *μοι ὑπ'*, 6: 6 *φύγοι ὕμνον*, 65 *ϝοι ὥπασε*, 7: 93 *ϝοι αἰδοίαν*, 10: 33 *ἥμενοι Ἄλιδος*, 12: 5 *βουλαφόροι. αἵ*, 13: 17 *πολυάνθεμοι ἀρχαῖα*, 73 *ϝοι αὐτά*, P. 2: 35 *παράτροποι ἐς*, 3: 36 *πολλοὶ ἐπαῦρον*, 4: 148 *τοι ἐγώ*, 197 *ϝοι ἀντάϋσε*, 287 *ϝοι οὐ*, P. 6: 12 *ἄνεμοι ἐς*, 8: 96 *ἄνθρωποι. ἀλλ'*, 9: 107 *πολλοὶ ἀριστῆες*, 109 *ϝοι Ἥβας*, N. 1: 21 *μοι ἁρμόδιον*, 58 *ϝοι ἀθάνατοι*, 67 *θεοὶ ἐν*, 3: 39 *ϝοι· οὐδέ*, 4: 38 *ὑπέρτεροι ἐν*, 5: 16 *τοι ἅπασα*, 34 *ϝοι ὀρσινεφής*, 10: 80 *μοι υἱός*, 82 *τοι ἔμπαν*, I. 2: 8 *μαλθακόφωνοι ἀοιδαί*, I. 5: 19 *χρυσάρματοι Αἰακίδαι*, 22 *ἑκατόμπεδοι ἐν*, Fr. XI: 72: 1 *πόποι, οἳ*.

ου quater et vicies: Ol. 3: 14 *Ἴστρου ἀπό*, 6: 9 *Σωσιράτου υἱός*, 9: 79 *δαμασιμβρότου αἰχμᾶς*, P. 2: 39 *Κρόνου· ἄντε*, 58 *στρατοῦ. εἰ*, P. 4: 5 *ἀποδάμου Ἀπόλλωνος*, 33 *ἀφθίτου Ἐννοσίδα*, 64 *φοινικανθέμου ἦρος*, 87 *που οὖτος*, 9: 81 *φασγάνου ἀκμᾷ*, N. 5: 13 *θεοῦ, ὅν*, 41 *θεοῦ, Εὐθύμενες*, 43 *κείνου δμόσπορον*, 6: 27 *σκοποῦ ἄντα*, 28 *τόξου ἰείς*, 10: 88 *οὐρανοῦ ἐν*, 11: 2 *ὁμοθρόνου Ἥρας*, I. 1: 58 *Ἀλφεοῦ ἔρνεσι*, 3: 65 *αἰετοῦ ἅ*, 5: 65 *Θεμιστίου ὀρθώσαντες*, 7: 65 *πατραδελφεοῦ· ἁλίκων*, Fr. II: 1: 6 *λευκωλένου Ἁρμονίας*, IX: 2: 2 *Θεοξένου ἀκτῖνας*, XI: 87: 1 *Κολοφωνίου ἀνδρός*.

ει septies: Ol. 7: 94 *ἐπεὶ ὕβριος*, 9: 29 *ἐπεὶ ἀντίον*, 14: 5 *ἐπεὶ εὔχομαι*, P. 11: 33 *ἐπεὶ ἀμφ'*, 12: 18 *ἐπεὶ ἐκ*, N. 6: 4 *μένει οὐρανός*, 10: 14 *ἐπεὶ ἐν*.

ῳ quater decies: Ol. 7: 45 *ἐγχειβρίμῳ. ἐν*, 8: 9 *Ἀλφεῷ ἄλσος*, 16 *γενεθλίῳ ὅς*, 13: 29 *πενταέθλῳ ἅμα*, 36 *ἀελίῳ ἀμφ'*, P. 4: 21 *θεῷ ἀνέρι*, N. 4: 46

Κύπρῳ, *ἔνθα*, 94 *λόγῳ ἔλκειν*, 6: 26 *μυχῷ Ἑλλάδος*, 8: 23 *φασγάνῳ ἀμφικυλίσαις*, I. 1: 7 *Κέῳ ἀμφιρύτᾳ*, 9 *στρατῷ ἐξ*, 4: 55 *νόῳ ἀντίπαλον*, 5: 8 *Ὀλυμπίῳ Αἴγιναν*.

ᾳ octies: Ol. 5: 2 *Οὐλυμπίᾳ, Ὠκεανοῦ*, 8: 54 *Μελησίᾳ ἐξ*, 83 *Ὀλυμπίᾳ, ὄν*, 10: 41 *ἀβουλίᾳ ὕσταιος*, 43 *Πίσᾳ ἔλσαις*, 13: 97 *Ὀλυμπίᾳ αὖτῶν*, N. 8: 18 *ποντίᾳ ἐν*, 11: 23 *Ὀλυμπίᾳ ἀέθλων*.

ω ter: Ol. 7: 58 *οὔπω ὅτε*, I. 1: 12 *ἐγὼ Ἡροδότῳ*, 5: 17 *προσεννέπω ἕσπεσθαι*.

α bis: Ol. 6: 62 *πατρία ὅσσα*, P. 9: 81 *διφρηλάτα Ἀμφιτρύωνος* (prave Hartel huc numerat I. 1: 8 *ἁλιερκέα Ἰσθμοῦ*).

η ter: Ol. 13: 109 *ἢ ὡς*, P. 3: 57 *ἤδη ἁλωκότα*, 11: 24 *ἢ ἑτέρῳ*.

Summa igitur omnium exemplorum fit 214. Ut apud Homerum, ita apud Pindarum facillime corripi *αι*, *οι*, *ου*, *ει*, minus sæpe *α*, *η*, *ω*, jam supra diximus. Quod autem apud Pindarum sæpius *ῳ* et *ᾳ* corripiuntur, Hartel (III: 6) ad imitationem Homeri et ad sonum sequentis vocalis relatum vult. Etiam eo quod inter voces per *αι* et *ει* exeuntes sæpissime corripiuntur *καί* et *ἐπεί*, simillimi sunt inter se Homerus et Pindarus. — Magni est momenti, quibus in numeris legatur diphthongus correpta. Primum igitur animadvertimus hanc correptionem longe sæpissime in numeris dactylicis admitti: inter 214 exempla 201 sunt in arsi dactylica. — Illud quoque interesse videtur, utra sit arsis: quinquagies septies enim priorem arsim dactylicam, centies quadragies quater secundam explet diphthongus (sive longa vocalis) correpta. Etiam apud Homerum secundam arsim correptionem magis admittere, Hartel ostendit (II: 375). Inter cetera exempla quattuor sunt in cretico soluto (– ⏑⏑: Ol. 2: 92 *αὐδάσομαι ἐνόρχιον*, 83 *πολλά μοι ὑπ'*; — ⏑⏑: P. 6: 12 *οὔτ' ἄνεμοι ἐς*, 11: 9 *Πυθῶνά τε καὶ ὀρθοδίκαν*), unum in thesi trochaica soluta (P. 11: 24 *ἢ ἑτέρῳ*), quattuor in anacrusi duarum brevium syllabarum (⏑⏑: Ol. 7: 7 *καὶ ἐγώ*, 9: 23 *καὶ ἀγάνορος*, 10: 91 *καὶ ὅταν*; ⏑⏑ N. 6: 4 *μένει οὐρανός*). Præcipue annotanda sunt P. 8: 28 *τὰ δὲ καὶ ἀνδράσιν*, N. 3: 39 *ἔπειτό ϝοι· οὐδέ*, Ol. 14: 2 *λαχοῖσαι αἵτε*, P. 8: 96 *ἄνθρωποι. ἀλλ'*, ubi diphthongus in arsi trochaica correpta est. Cfr. Boeckhium de Metr. Pind. p. 102, Momms. Suppl. p. 191. — Vocalis, quæ diphthongum sequitur, sæpissime est aut *α* (sexagies septies) aut *ε* (quinquagies semel) aut *ο* (vicies quater), sed fit correptio etiam ante *ν* (12 locis), *ου* (9), *ω* (8), *η* (7), *ευ* (8), *αι* (9), *ι* (8), *αυ* (4), *νι* (2), *ει* (3), *οι* (2).

Apparet igitur hanc correptionem apud Pindarum iisdem fere finibus circumscriptam esse atque in carminibus Homericis. Una usus discrepantia, qua Pindarus in arsi trochaica quater correptionem admisit, propter ipsam paucitatem

exemplorum pro conato metrico habenda est; qua in re nescio an nemo vatem Thebanum secutus sit. Eandem igitur hujus correptionis explicandæ rationem apud utrumque poetam statuere possumus. Atque post disputationem Hartelii accuratissimam et subtilissimam mihi quidem dubium non esse videtur, quin causa diphthongorum *αι*, *οι*, *ει*, *ου* ante vocalem correptarum — corripiuntur autem centies octogies quater — ex natura semiconsona alterius diphthongi partis repetenda sit. Vide Hartel. III, G. Meyer. Gr.[1] §§ 151, 154. Etiam media in voce has vocales in semiconsonas transire potuisse alio loco ostendemus. Utrum autem triginta ceteris locis *ῳ*, *ᾷ*, *ω*, *α*, *ᾐ* similitudinem illarum diphthongorum sint secuta — id quod suadent et ipsa exemplorum paucitas et quod poetæ posterioris ætatis has correptiones numquam fere admiserunt — an cum Meyero (§ 156) ex natura sonorum et linguæ ratio hujus rei sit repetenda, in medio relinquo.

Priusquam ad eas voces examinandas transeo, quas a digammo apud Pindarum incepisse pro certo habeo, fortasse primum est dicendum, qua ratione in hoc opusculo conficiendo usus sim. Inter voces digammo ornatas primum de iis verba facio, quarum stirpes a digammo solo, deinde ab *σϝ*, tum a *ϝϱ* olim incepisse constat. Postremo nonnullas voces affero, quæ utrum a digammo inceperint necne incertum est, quæve nisi conjectura apud Pindarum digamma non produnt. Uniuscujusque vocis primum affero originem, si quidem linguarum cognatarum comparatione investigata est; qua in re semper fere satis mihi fuit eorum, qui in nominibus enodandis versantur, quantum mihi præsto fuerunt, libros afferre. Deinde ex inscriptionibus unicuique voci digammi testimonia repetivi; in qua re confiteor maximum mihi auxilium libello Tudeeri[2] allatum esse. Omnia autem hujusmodi testimonia me amplexum esse non profiteor, sed ex dialectis quam plurimis testimonia quæsivi. Tum in comparationem vocavi digammi usum et Homeri et Hesiodi et ceterorum poetarum, qui ante Pindari tempora carmina condiderunt. — Exempla Pindarica in tria genera divisi; aut enim digamma desideratur, aut respuitur, aut utrum digamma adhibuerit poeta necne in liquidum perduci non potest. In locis Pindaricis afferendis usus sum

---

[1] G. Meyer: Griechische Grammatik. Leipzig 1880.

[2] O. E. Tudeer: De dialectorum græcarum digammo testimonia inscriptionum. Helsingforsiæ 1879.

editione Tychonis Mommseni majore, quæ anno hujus sæculi sexagesimo quarto in manus hominum venit. Ceteræ Pindari carminum editiones, quibus uti mihi licuit, hæ sunt:

1) *ΠΙΝΔΑΡΟΥ ΠΕΡΙΟΔΟΣ*, hoc est Pindari Lyricorum Principis plus quam sexcentis in locis emaculati, ut jam legi et intelligi possit, *Ὀλυμπιονῖκαι Πυθιονῖκαι Νεμεονῖκαι Ἰσθμιονῖκαι* illustrati versione nova fideli -- — — cum fragmentis aliquot diligenter collectis — — — opera Erasmi Schmidii (Witebergæ 1616).

2) Pindari opera quæ supersunt ed. A. Boeckhius, Lipsiæ 1811—1821 (cum notis criticis, commentatione de metris Pindari conscripta, scholiis, interpretatione latina, explicationibus fragmentisque).

3) Pindari carmina ed. Tycho Mommsen. Berolini 1866 (Ed. minor).

4) Pindari carmina quæ supersunt cum deperditorum fragmentis selectis ex recensione Boeckhii commentario perpetuo illustravit L. Dissenius (Ed. alteram curavit F. G. Schneidewin) Gothæ 1843.

5) Poetæ Lyrici Græci. Vol. I Pindari carmina continens. Recensuit Th. Bergk. Lipsiæ, tertia ed. 1866, quarta 1878.

6) Pindari carmina cum deperditorum fragmentis selectis. Recognovit W. Christ. Lipsiæ 1873.

In versibus poetarum melicorum, elegiacorum, iambographorum afferendis quarta editione Bergkiana (Lipsiæ 1882) usus sum. Fragmenta Epicharmi et Sophronis apud Ahrentem (de dial. Dor.) legi. Homerum, Sophoclem, Euripidem in edd. Nauckianis adhibui, Theocritum in Fritzschiana; Hymnorum Homericorum ea usus sum editione, quam recensuit Baumeister (Lipsiæ 1877). Carmina Hesiodi secundum editionem Goettlingianam tertiam, quam curavit Ioannes Flach (Lipsiæ 1878), attuli. Quibus aliis in commentatione mea conficienda usus sum libris, eorum titulos, ubi primum eos adhibui, nominatim allatos invenient ii qui legent.

Transeo igitur ad eam commentationis partem, qua recensentur vocabula, quæ apud Pindarum digammo ornata esse mihi persuasum est.

(ϝ)άναξ, (ϝ)ανάσσω, ἀναξία, ἀναξιφόρμιγξ, ἄνασσα.

Quamquam, qua ex stirpe derivandæ sint hæ voces, nondum satis constat (v. Knös. pp. 52, 53), tamen in titulis et in carminibus poetarum tot exstant

digammi indicia, ut dubitari non possit, quin his vocibus olim præfixa sit spirans labialis, quam vocant. Et primum quidem inscriptiones adeamus. Digamma exaratum est in titulis *Boeoticis:* ϝανάξανδρος, ϝαναξανδρίδαο, ϝαναξίων, ϝαναξίωνος (v. Beermann. [1] p. 52, Tudeer. pp. 76, 77); in titulis *Cretensibus:* Βαναξιβούλου, litera β vicibus digammi fungente (v. Helbig. [2] p. 7, Tudeer. p. 52); in titulis *Laconicis:* ϝάναξ, ϝαναχιόριες, εὐρυβάνασσα (Tud. pp. 12, 16); in *Argivo:* ϝαναξίλας (Tud. p. 28); in *Arcadico:* ϝαναχισίας (Tud. p. 110); in *Cypriis:* ϝάναξ, ϝανάσσας, (Tud. p. 114, Samml. [3] n:is 18, 59, 38, 39, 40).

Deinde carmina poetarum inspiciamus. Apud Archilochum digamma prohibet hiatum El. I: 1 *Ἐνναλίοιο ἄναχτος;* Tetr. 77: 1 Hermann legit *Διωνύσου ἄναχτος*, quam lectionem impugnant Ahrens [4] et Bergk, epicum genitivum elisum *Διωνύσοι'* Archilocho attribuentes (vulgo *Διωνύσοιο*). Apud Theognidem vi digammatis longa servatur vocalis: 1 *ὦ ἄνα,* explentur hiatus: 5, 773 *Φοῖβε ἄναξ*, 987 *αἶτε ἄναχτα* (cfr. Renner. [5] p. 16). De Homericis digammi vestigiis adeundus est Knös pp. 53—56, de Hesiodeis Sachs [6] p. 44; apud Theocritum XXV: 150 *τε ἄναξ* legitur. De digammo apud Alcmanem vide Ahr. [7] II: 41; apud Corinnam Fr. 2 Ahrens scripsit *Ποτιδάωνος, ϝάναξ.* Cfr. glossam Hesychii [8] *βάννας· βασιλεύς παρὰ Ἰταλιώταις. οἱ δὲ μέγιστος ἄρχων.* (Ahr. I: 228, II: 45, 99).

Quæ quum ita sint, jam antequam ad exempla Pindarica exquirenda transeamus, credibile nobis videtur, nostrum quoque poetam in harum vocum initio digammo consona usum esse. Neque nos fallit hæc opinio. Vi digammatis ex-

---

[1] *E. Beermann:* De dialecto Boeotica. Lipsiæ 1876.

[2] *H. Helbig:* De dialecto cretica. Quæstiones grammaticæ. Plaviæ 1873.

[3] Hac nota significavi librum, qui inscribitur Sammlung der griechischen Dialekt-Inschriften, herausgegeben von D:r *Hermann Collitz*, Göttingen 1883. Heft. I: *W. Deecke:* Die Griechisch-kyprischen Inschriften in epichorischer Schrift. Heft. II: *F. Bechtel*: Die Æolischen Inschriften; *H. Collitz*: Die Gedichte der Balbilla; *A. Fick*: Die Thessalischen Inschriften. Ceterarum dialectorum tituli nondum sunt editi.

[4] in commentatione, quæ inscribitur: Ueber die Mischung der Dialekte in der Griechischen Lyrik (in actis societatis philologorum anno 1852 Gottingiam congregatorum) p. 62.

[5] Quæstiones de dialecto antiquioris Græcorum poesis elegiacæ et iambicæ. Scr. *I. G. Renner.* Lipsiæ 1868.

[6] *A. Sachs*: De digammo ejusque usu apud Homerum et Hesiodum capita VI. Berolini 1856.

[7] *H. L. Ahrens*: De Græcæ linguæ dialectis. I: De dialectis Aeolicis et Pseudæolicis, II: De dialecto Dorica. Gottingæ 1839, 1843.

[8] In glossis Hesychianis afferendis usus sum editione, quam recensuit Mauricius Schmidt. Jenæ 1858—1864.

plentur hiatus, qui sunt: ὦ ϝάνα P. 9: 44, 12: 3 post longam in thesi productam, Ἐφιάλτα ϝάναξ P. 4: 89, τε, ϝάναξ P. 11: 62, utroque loco post brevem arsim; (male Peter p. 24 ad Ἐφιάλτα ἄναξ vocalem in fine præcedentis vocis corripi contendit; miror autem, Mommsenum ipsum Ἐφιάλτα a principio per longam vocalem exiisse existimare videri, quum p. 491 ἄναξ pro ϝάναξ emendandum esse dicat; aliter Rumpel in Lexico Pindarico et Hartel III: 80). Huc fortasse addi potuit Fr. II: 6 χερσί, ϝάναξ, ubi tamen codd. χερσίν, ἄναξ; de ν paragogico vide Appendicem II. — In initio versus leguntur ἄναξ P. 8: 67, ἄνακτα Fr. XI: 30. (Ol. 13: 109, ubi apud Boeckhium et Pauwium ἄνα, vocativus hujus vocis, apud Bergkium et Christium ἄνα pro imperativo legitur, Mommsen, alia versuum distributione accepta, ἀλλὰ, quam lectionem commendant omnes libri scripti, restituit). Post longam syllabam reperiuntur N. 3: 33 Πηλεὺς ἄναξ et I. 3: 78 οἴκων ἄναξ. — Digammo obstant Ol. 10: 49 δώδεκ' ἀνάκτων, Ol. 13: 104 βωμὸς ἄναξ, P. 4: 45 Ποσειδάωνος ἄναξ, N. 4: 42 πότμος ἄναξ, N. 10: 77 ἐπίτειλον, ἄναξ, I. 7: 33 τεκέμεν ἄνακτα, ubi tamen de lectione parum constat, I. 7: 47 Θέτιος ἄνακτα.

Verbum, quod est ἀνάσσειν, digamma certe testatur. Omissis enim Ol. 6: 34 Ἄρκάδων ἄνασσε et Fr. XI: 12 ἀγλαΐας ἀνάσσων, ubi præcedit longa syllaba, digamma requirunt duo hiatus, unus Ol. 13: 23 in arsi post brevem vocalem εὖρὺ ϝανάσσων, alter post longam thesim P. 1: 39 Δάλου ϝανάσσων, de quo tamen dubium restat. In omnibus fere codicibus melioris notæ est Δάλοιο, quod quum metro repugnet, in Δάλοι' immutatum est a plerisque editoribus. Quod utrum recte scripserint necne, ambigi potest. E codicibus certe nihil adjumenti eruere licet, nam auctoritati Triclinii, qui Δάλοι' scripsit, opponi potest Moschopulus, qui Δάλου commendat. Conferri debet Ol. 14: 23, ubi Boeckh εὐδόξου scripsit, invitis omnibus libris, qui Thessalicum quem vocant genitivum per -οιο exeuntem exhibent. Hunc genitivum apud Pindarum elidi posse, nostris temporibus nemo est, quin confiteatur; quanta autem sit copia hujus stirpis digammi indiciorum reputanti satius mihi visum est digamma hic quoque restituere. Cfr. tamen Momms. Suppl. p. 165 et Peter. p. 34.

ἄνασσα bis legitur: I. 4: 5, Fr. XI: 118: 1; utroque loco antecedit vocabulum, quod est ὦ, quocum ἄνασσα aut crasi aut aphæresi est conjunctum. Digamma igitur est amissum.

Eodem modo substantivum, quod est ἀναξία, digamma respuit N. 8: 10, ubi vox elisa πείθεσθ' excipitur.

E juncto vocabulo *ἀναξιφόρμιγγες*, a quo incipit Ol. 2, nihil concludere licet.

R. *ϝαχ. ἰάχω, ἰαχά, ἀχέω, ἀχέτας, ϝαχώ.*

Unde sit repetenda origo harum vocum, inter viros doctos non satis constat; vide Knös. pp. 59, 60. Re vera digammi indicia non tam multa sunt, quum neque in titulo ullo, quantum equidem scio, digammo instructæ hæ voces reperiantur neque ex cognatarum linguarum comparatione ad digamma his vocibus attribuendum quidquam certi fundamenti sumere possimus. Sed ex Homerico illo *αὐίαχοι*, quod ad *ἀϝίαχοι* revocemus necesse est (v. Hinrichs.[1] p. 28, Ameis.[2] p. 18), et ex hiatibus et productionibus Homericis et Hesiodeis (Sc. Herc. 279, 348, 438, 441, 451, Op. 582) apparet, has voces olim a digammo incepisse. Neque tamen e carminibus Pindari ad digamma confirmandum multum afferre possumus.

ἰάχει Fr. XI: 162 est in initio versus.

ἰαχάν P. 3: 17 longam excipit syllabam.

Ab *ἀχεῖ* incipiunt Fr. IV: 3: 17, 18.

ἀχέταν Thren. Fragm. 10 (apud Mommsenum p. 489) v. 5 digammo obstat, quum *μέν* præcedens non producatur.

Vocis, quæ est *ἀχώ*, una tantum figura apud Pindarum exstat, vocativus *ἀχοῖ* Ol. 14: 21, ubi tamen de lectione et de mensura versus ambigitur. Sive autem v. 9 *κοιρανέοισιν χορούς* et v. 21 *Φερσεφόνας ἐλθέ, ϝαχ.* (— ⏑⏑ — ⏑ — ⏑ —) cum Mommseno, sive *κοιρανέοντι χορούς* et *Φερσεφόνας ἴθι ἀχ.* cum Boeckhio (anno 1811) scribimus, hiatus ante *ἀχοῖ* digamma desiderat. Cfr. Momms. Suppl. p. 191. Male Bergk, *ἔλθ'* scribens, spondeum pro dactylo admisit, quod nisi in nomine proprio (Ol 10: 99, Ol. 5: 18) non usurpavit Pindarus. De *εὐαχέα*, quod Mommsen P. 2: 14 *εὐϝαχέα* scribendum esse censet, plura infra.

(ϝ)είκοσι.

De digammo huic voci olim præfixo non est dubium, quum testimoniis omnis fere generis manifeste indicetur. Et primum quidem adeundi sunt de

[1] *Gust. Hinrichs:* De Homericæ elocutionis vestigiis æolicis. Jenæ 1875.

[2] *Th. Ameis:* De æolismo Homerico. Halis Saxonum 1865.

cognatis linguis Curtius [1] Grundz. p. 134, Knös p. 62, de formis variis dialectorum Ahrens II: 279, de vocali prothetica figuræ *ἐϝείκοσι* Leskien p. 35, de glossa Hesychiana *βείκατι* Ahrens II: 45. Deinde digamma servatum est in Tab. Heracl., ubi tricies septies inveniuntur *ϝίκατι, ϝείκατι* cum nom. deriv. (Meister. [2] p. 404, Tud. p. 23); in catalogis Lebadeensibus *(ϝικατιϝέτιες)* et in tit. Orchom. *(ϝίκατι)* (Tud. p. 81, Beermann. p. 53, Ahr. I: 170), in tit. Laconico C. I. 1511 (de quo vide Ahr. II: 8, Kirchhoff. [3] p. 140) *ϝίκατι* (Tud. p. 13), in duobus Aspendiis titt. *φίκατι,* ubi digammi loco litera *φ* legitur (Tud. p. 61; cfr. Curt. Grundz. p. 587, Meyer. Gr. § 238); minus valet *ϝικ* (*ατι*?) in tit. Argivo C. I. 18 (Tud. p. 29, Ahr. II: 43), ubi *ϝικ* utrum ad *ϝίκατι* pertineat necne pro certo statui non potest; neque magis constat de Arcadico *ϝικαδίω* et de Cretico *ϝικαδίονος*, quæ Tudeer (pp. 111, 51) ad substantivum numerale *ϝικάς* = *εἰκάς*, Helbig (p. 5), alii ad radicem *ϝικ,* quæ est in *εἴκω*, referenda censent. Omissum autem est digamma in epigrammate Balbillæ C. I. 4727 (Samml. 323: 6, 7), ubi sunt *εἴκοσι, εἰκόσιῳ.* Cfr. Ahr. I: 32.

De *ϝείκοσι* sim. apud Homerum vide Knös. pp. 62, 63. Apud Hesiodum non est *εἴκοσι.*

Apud Pindarum bis legitur hæc vox. Digammo adhibito hiatus sanatur post secundam arsim dactylicam N. 6: 58 *ἐπὶ ϝείκοσι;* P. 4: 104 *εἴκοσι* est in initio versus.

ἑκών, ἕκαλος, (ϝ)ἑκατι, ἀέκων.

Has voces olim a labiali spirante incepisse, inter omnes satis constat; cfr. Curt. Grundz. p. 135. Digamma testantur glossæ Hesychii *βεικηλά* (Ahr. correxit: *βέκηλα*)· *νωχελῆ, ἀχρεῖα. Λάκωνες; γέγκαλον* (Guyetus emend. *γέκαλον*)· *ἧσυχον; γεκαθά* (Ahr. emend. *γέκαθα*, Schmidt *γεκᾶσα*)· *ἑκοῦσα*, de quibus vide Ahr. II: 46, 53. Eodem spectat Homericum illud *εὔκηλος*, sive ex *ϝέκηλος*, metathesi facta in *ἔϝκηλος* (Gies. p. 271), sive *ε* prothetico addito et prima stir-

---

[1] His libris *Georgii Curtii* usus sum: Grundzüge der Griechischen Etymologie. Vierte Auflage. Leipzig 1873, *(Grundz.)*, Griechische Schulgrammatik. Dreizehnte Auflage. Prag 1880, *(Gr. Gr.)*, Erläuterungen zu meiner griechischen Schulgrammatik. Dritte Auflage. Prag 1875, *(Erl.)*, Das Verbum der Griechischen Sprache. Leipzig. I 1873, II 1876 *(Verb.)*.

[2] *R. Meister:* De dialecto Heracliensium Italicorum (in Curt. Stud. IV pp. 355—469).

[3] *A. Kirchhoff:* Studien zur Geschichte des griechischen Alphabets. Dritte Auflage. Berlin 1877.

pis vocali syncope ejecta *(ἐ-ϝέκηλος)* (Curt. Grundz. pp. 135, 569, Buttmannum sequens, Leskien p. 13, Ameis pp. 17, 18), sive ex *ἐ-ϝέκηλος*, syllaba *ϝε* in *υ* vocalem transgressa (Hinrichs p. 35), ortum est. Huc accedunt Homericum et Hesiodeum *ἀέκητι (ἀϝέκητι)* et *ἀέκων (ἀϝέκων)*, quod apud Homerum, Theognidem, Pindarum (Ol. 10: 29, N. 4: 21) occurrit.

In majore tabula aenea Oantheæ inventa insculptum est *ϝϙόντας* (Tud. p. 44, Allen [1] p. 44); missa facio *ϝεκάβα* (Tud. p. 33) et Boeoticum ***FHEKA-ΔAMOE*** (Tud. p. 80), quum quam ad stirpem referenda sint hæc nomina nondum satis constet; in titulo autem Hierapytniorum C. I. 2555 omissum est digamma: *ἑκών* (Tud. p. 55). — Inter poetas digammo has voces instruxerunt Homerus (v. Knös. pp. 68, 69), Hesiodus (vide Sachs. p. 48), Alcman (v. Ahr. II: 41).

Apud Pindarum ex his vocabulis *ἕκατι* solum vim digammatis manifeste ostendit. Longam enim syllabam per diphthongum exeuntem in thesi trochaica productam servari patitur digamma Ol. 14: 20 *σεῦ ϝέκατι*, ubi consensu omnium codicum adducimur, ut respuamus *σεῖ' ἕκατι*, quod Mommsen (Suppl. p. 165) defendi posse contendit; apud Pindarum nisi conjectura non est *σεῖο*, pro quo leguntur *σέθεν σέο σεῦ; σοῦ* Christ male invexit N. 5: 43.

Hiatum deinde prohibet digamma post brevem in thesi soluta I. 4: 2 *σέο ϝέκατι;* sic enim legendum esse censeo; in codicibus autem insertum est *γ'*, cujus particulæ male additæ exempla sæpissime in carminibus Pindari invenias. Eidem voci Triclinius præfixit *γ'* P. 8: 14, et Ol. 4: 9 illud *γ'* in optimum codicem Ambrosianum irrepsit (in ceteris et vetustis et Thomanis est *ϑ'* seu *δ'*), unde concludere nobis licet hoc vitium jam antiquis temporibus ortum esse, id quod etiam testantur vett. schol.: *ὁ δὲ τε σύνδεσμος περιττός.* Num autem inde concludere possimus poetam ipsum digamma scripsisse (quod statuunt Bergk et Mommsen ad hunc locum) inter viros doctos ambigitur; cfr. de simili fere re Renner. p. 14. Mihi præferenda videtur lectio Bergkiana *χαρίτων ἕκατι.* — In initio versus positum est *ἕκατι* P. 5: 9, 10: 58. — Post longam et per consonam exeuntem syllabam quater reperitur: Ol. 4: 9 *χαρίτων ἕκατι*, N. 4: 22 *Αἰγίνας ἕκατι*, N. 7: 15 *Μναμοσύνας ἕκατι*, I. 3: 19 *ϑεῶν ἕκατι.* Etiam Fr. IX: 2: 8 huc pertinet, sive cum Christio *ϑεᾶς*, sive cum Boeckhio *ὥρας* scribimus; Mommseniana lectio *ἰᾶσϑ' ἕκατι* digammo adversatur; eodem modo N. 8: 47 *Μοισαῖον ἕκατι*, I. 4: 26 *Διὸς ἕκατι.*

[1] *F. Allen:* De dialecto Locrensium. Lipsiæ 1870.

ἕκαλος duobus locis legitur: Ol. 9: 58 ἀναρπάσαις ἕκαλος, I. 6: 41 in fronte versus; neuter igitur digamma prohibet.

Alia est ratio vocis ἑκών, quæ undecies reperitur. Quinquies enim digamma non fertur: Ol. 10: 29 ἀέκοντ' ἐκών, P. 4: 165 ἄεθλον ἐκών, P. 4: 181 καὶ γὰρ ἐκών, N. 6: 57 θυμόν. ἐκόντι, Fr. XI: 145 οὔτις ἐκών, si quidem de hoc brevi fragmento pro certo quid statuere licet. — In initio versus sunt P. 5: 40 ἐκόντι, 8: 14 ἐκόντος; longam syllabam, quæ per consonam exit, excipiunt P. 8: 67 ἄναξ, ἐκόντι, N. 8: 10 ἀναξίαις ἐκόντες, Fr. XI: 70: 3 ἐπαινήσαις ἐκών, Ol. 13: 92 ἀγλαοθρόνοις ἐκών; postremo autem loco ἐκών in dubium revocaverunt Mommsen et Bergk. In libris melioribus est εἴκων, quod Moschopulus in ἔκων perperam correxit. Improbanda est conjectura Mommseni ἴκων (ἰκών in literis græcis inauditum est), quum neque de vocali ι verbi ἵκειν a Pindaro correpta satis constet, neque ita, unde venerit illa litera ε, ullo modo expediri possit, (nam digammi, quod in initio stirpis ἰκ olim fuisse ex vocula duplicata, quæ est ἄ-ικ-ιος, et ex comparatione linguarum cognatarum elucet, ne minimum quidem apparet vestigium in carminibus poetarum græcorum; cfr. Ahr. I: 27, Knös. p. 123). Paulo melius, etsi incertissimum, videtur quod idem vir doctissimus proposuit ϝίκων (dialecticam formam pro εἰκων); cfr. glossam Hesychii γῖξαι· χωρῆσαι, quam Ahrens I: 171 ad boeoticam dialectum retulit. Neque noster locus magis digamma respuit quam Ol. 4: 9, ubi Mommsen cum Bergkio facit, post χαρίτων olim scriptum esse digamma affirmante. Deinde inscitia librariorum fortasse nasci potuit εἰκων ex ϝίκων. — Sed hæc omnia incertissima; requiescendum esse censeo in correctione Moreliana ἑκών. Denique Boeckh P. 2: 69 contra omnes codices scripsit χορδαῖς ἑκών, sed θέλων Pindaro non est abjudicandum. Cfr. Boeckh. not. crit. ad P. 1: 62.

Ἰλιάδας, nomen patronymicum.

Ἰλεύς et Ἰλιάδας verisimillimum est originem repetere a substantivo ἴλη, turba, quod digammo olim ornatum fuisse quum ex aliis testimoniis tum ex glossa Hesychiana ϝίλῃ ὁμῆλος (ὅμιλος?) elucet; (apud Pindarum tamen leguntur N. 5: 38 εὔφρονες ἵλαι et P. 10: 40 ἀναδήσανιες εἰλαπινάζοισιν; quamquam utrum εἰλαπίνη hanc ad stirpem pertineat necne ambigitur). Radix est ϝελ (εἴλω, εἰλέω). Bene Knös p. 74 contulit Αιϝας Ϝιλατας, quod est in titulo sepulcrali. Pro Ἰλεύς Ἰλιάδης Homerus semper dicit Ὀιλεύς Ὀιλιάδης, et hoc ipsum ο

Curtius Grundz. p. 561 e digammo ortum esse contendit; cfr. Sachs. p. 21. *Ἰλεύς* autem est in Fragm. Hesiodi 77: 1 et apud Stesichorum (Fr. 84). Apud Pindarum Ol. 9: 112 incerta est lectio. Vetusti enim codices et *δαιτὶ Ϝοϊλιάδα* et *δαιτὶ Ἰλιάδα* exhibent. Qua in hæsitatione discrimen facit vetus scholiasta, qui apertis verbis docet: *ἄνευ δὲ τοῦ ο εἴρηκε τὸν Ἰλιάδα, ὥς που φησι καὶ Ἡσίοδος.* Legimus igitur Mommsenum secuti *δαιτὶ ϝιλιάδα*, ut digammo adhibito difficillimus hiatus post arsim trochaicam evitetur (cfr. Momms. Suppl. ad Ol. 9: 98, 112). Neque credibile videtur librarios figuram e carminibus Homeri notissimam ejecisse, ut formam minus fortasse notam inculcarent; sed verisimilius est in archetypo fuisse *ϝιλιάδα*, quod postea male est correctum. — Christ hiatum intactum reliquit (in carminis contextu); Bergk remedium Mommseni non respuit, quamquam versum alio modo vult restitutum.

ἐλπίς, ἔλπομαι, ἔλδομαι, ἔπαλπνος, ἄλπνιστος, ἀελπτία.

Et *ἔλπομαι* et *ἔλδομαι* ad eandem radicem *ϝελ*, quæ et *π* et *δ* consona amplificari potuerit quæque quum *βούλομαι* tum *volo* verbo sit subjecta, revocanda esse Curtius multis locis maxima veri similitudine profert (Grundz. pp. 62, 539, 566). Item Leskien p. 14. Indiciis digammi, quorum mentionem facit Curtius (Grundz. p. 264), addi possunt Hesiodeum *ἀνάελπια* (Theog. 660), apud Archilochum et Solonem *ἄελπτος*, *ἐπέλπτιος*, *ἀελπτίη*, quod etiam apud Pindarum legitur P. 12: 31 (ubi Mommsen scripsit *ἀελπίᾳ*, conjecit *ἀελπείᾳ*). In vetustiore dialecto attica digamma vocis *ἐλπίς* in spiritum asperum abiit (Curt. Grundz. p. 676, Cauer [1] p. 279). Ex titulis nihil est quod sumatur. De usu Homerico vide Knös. pp. 76, 80—82. In carminibus Hesiodeis digamma testantur Op. 96, 475, 498; apud Theognidem Bergk v. 333 conjecit *ἄνδρ' ἐπὶ ϝελπίδι* (codd. *ἄνδρα ἐπ' ἐλπίδι*), repugnante Rennero p. 14.

ἐλπίς: Apud Pindarum post arsim dactylicam secundam digamma prohibet hiatum Ol. 13: 80 *παρὰ ϝελπίδα*, ubi Moschopulea correctio hodie Mommseno quoque probatur (olim aliter; vide Suppl. p. 181), post trochaicam arsim P. 2: 49 *ἐπὶ ϝελπίδεσσι*. Ad vim digammatis revocandum censeo etiam I. 2: 43 *ἀμφικρέμανται ϝελπίδες*, ubi diphthongus in arsi producitur; quamquam propter *Ὀλυμπίου Διός* v. 27 aliqua inhæret dubitatio. Sed quum exempla colorum

[1] *P. Cauer:* De dialecto attica vetustiore quæstionum epigraphicarum pars prior. Lipsiæ 1875. (in Stud. Curt. vol. VIII).

dactylicorum per trochæum exeuntium paucissima sint (vide Append. I), veri simillimum saltem mihi videtur Pindarum hic digammo usum esse; Christ signum digammi ascripsit. Certe Mommsen eodem jure scribere potuit *ϝελπίδες*, quo I. 3: 53 dedit *καταμάρψαι. ϝίστε;* cfr. vv. 17 et 35, ubi omnes codices *Λαβδακίδαισι σύννομοι* et *πολέμοιο τεσσάρων* exhibent. — Omitto P. 3: 111 *ἐλπίδ'*, N. 11: 22 *ἐλπίδες*, 46 *ἐλπίδι*, I. 4: 52 *ἐλπίδων*, Fr. XI: 130: 2 *ἐλπίς*, 192 *ἐλπίσιν*, a quibus incipiunt versus, et P. 1: 83 *ταχείας ἐλπίδας*, P. 3: 23 *ἀκράντοις ἐλπίσιν*, P. 4: 201 *ἐνίπιων ἐλπίδας*, P. 8: 90 *ἐξ ἐλπίδος*, I. 6: 36 *ἐσχάιαις ἐλπίσιν*, I. 7: 15 *ἀγαθὰν ἐλπίδ'*, ubi *ἐλπίς* longas syllabas in consonam desinentes excipit. — Respuunt autem plane consonam initialem Ol. 12: 6 *κυλίνδοντ' ἐλπίδες*, N. 1: 32 *ἔρχονθ' ἐλπίδες*, N. 8: 45 *κενεᾶν δ' ἐλπίδων.*

Verbum, quod est *ἔλπομαι*, nulla digammi vestigia apud Pindarum ostendit. P. 1: 43 *μενοινῶν, ἔλπομαι*, N. 6: 26 *ἅπάσας. ἔλπομαι* non plus efficiunt quam P. 10: 55 *ἔλπομαι*, N. 4: 92 *ἔλπεται*, ubi versus ab hac voce incipiunt. Figuræ imperf. *ἤλπετο*, quæ legitur P. 4: 243 in initio versus, non est habenda ratio, siquidem augmentum temporale, quod dicitur, ab origine nihil aliud nisi augmentum syllabicum esse cum vocali initiali stirpis ipsis temporibus linguæ, quam fingunt viri docti, indogermanicæ antiquæ concretum suo jure contenderunt Curtius Verb. I: 126, Meyer Gr. Gr. § 471, 478. Ita enim apparet, digamma jam omissum esse, priusquam augmentum cum vocali stirpis coalescere posset. — Cetera quinque exempla Pindarica digamma non patiuntur: Ol. 13: 100 *νῦν δ' ἔλπομαι*, N. 7: 20 *πλέον' ἔλπομαι*, Fr. III: 10: 1 *τί δ' ἔλπεαι*, Ol. 1: 64 *τις ἔλπεται*, 109 *κεν ἔλπομαι* (ubi tamen facillima mutatione scribi potuit *κε ϝέλπομαι*).

E verbo, quod est *ἔλδομαι*, nihil ad digamma testandum elucet; *ἔλδεαι* enim legitur Ol. 1: 4 in fronte versus, neque aliis locis occurrit hæc vox apud Pindarum.

In juncto vocabulo *ἔπαλπνος* P. 8: 84 digamma plane evanuit.

Item abiit digamma in superlativo, qui est *ἄλπνιστον* I. 4: 10, ubi præcedens *τόν* non producitur.

ἔπος, εἰπεῖν, ἀδυεπής, ἀρτιεπής, εὑρησιεπής, ὀμφά, ὄσσα, ὄψ.

De digammo stirpis *ϝεπ* inter omnes constat; cfr. Curt. Grundz. pp. 452, 461 (ubi hæc stirps a stirpe *σεπ* sejungitur), Knös. p. 82. De consensu lin-

guarum Græcæ et Sanscritæ in nonnullis hujus stirpis figuris (e. gr. a-vôk-a-m ex a-va-vak-a-m et *ἔ-ειπ-ο-ν* ex *ἐ-ϝε-ϝεπ-ο-ν* orto) multi et docti viri jam sæpius verba fecerunt. In *ὄσσα* consonam gutturalem, per quam antiquitus hanc radicem exiisse ex linguis Sanscrita, Latina, aliis comparatis satis apparet, Græci quoque retinuerunt (Curt. Grundz. pp. 453, 658, Meyer. Gr. Gr. § 189); in ceteris hujus stirpis vocibus consona gutturalis in labialem transiit, et in *ὀμφά* post ascitam consonam nasalem labialis tenuis *π* in aspiratam *φ* immutata est (cfr. Curt. Grundz. p. 495, Meyer. Gr. Gr. § 209). — Ex inscriptionibus quattuor sumi possunt digammi testimonia: *ϝέπος* in titulo Eleo C. I. 11 (v. Tud. p. 105, Ahr. I: 280); *ϝέπεα* in tit. Idaliensi (Tud. p. 114, Samml. 60: 26), in alio tit. Cyprio (Samml. 68: 1) *ϝήπω;* in tit. Gortynio *ἀποϝειπάθθω* (Tud. p. 52, ubi menda typographi legitur ***ΑΠΟΓΕΙΠΑΘΘΟ***), quam formam pro imp. aor. I med. (pro *ἀποϝειπάσθω*) habet Helbig p. 5; quomodo autem illud *θθ* sit ortum, vide Helbig. p. 15, Curt. Verb. I: 101 (quem sequitur Allen p. 39), Knös. p. 83, Meyer. Gr. Gr. § 214. — Deinde annotanda est glossa Hesychiana *ϝῖπον* (corr. Ahrens pro *γίπον*)· *εἶπον*, quam Ahrens I: 171, 189, II: 55 ad dialectum Boeoticam retulit. Huc accedunt nonnulla vocabula juncta, in quibus mediis hiatus digamma initiale stirpis alterius membri indicant; enumerantur a Knösio pp. 83, 85, a Sachsio p. 49, a Rennero p. 19; apud Pindarum leguntur *ἀδνεπής* Ol. 10: 93, N. 1: 4, 7: 21, *ἀρτιεπής* Ol. 6: 61, I. 4: 41, *εὐρησιεπής* Ol. 9: 80; P. 10: 62 Bergk olim conjecit *κ' ἀμεσσιεπῆ*. — De usu Homerico vide Knös. pp. 83—89, de Hesiodeo Sachs. p. 49, de poetis elegiacis Renner. p. 16; apud Sappho Fr. 28: 2, Alc. Fr. 55: 2 *τι ϝείπην* correctum est, approbante Ahrente I: 31, nisi forte parendum est Prisciano, *ἶπον* pro *εἶπον* æolicum dicenti (Ahr. I: 90, Curt. Grundz. p. 453, Meister [1] p. 71). Apud Theocritum digammo sanantur hiatus *καλὰ εἰπεῖν* 17: 7, *μυρία εἰπεῖν* 17: 11, et producitur *μὲν εἴποιμι* 25: 49

ἔπος: Ante hanc vocem longæ servantur diphthongi P. 2: 66 *ἐμοὶ ϝέπος*, P. 3: 2 *εὔξασθαι ϝέπος*, utraque in thesi trochaica; hiatus prohibentur post primam arsim dactylicam Ol. 6: 16 *τι ϝέπος*, post solutam thesim trochaicam N. 7: 48 *τρία ϝέπεα;* producitur syllaba brevis, in consonam desinens, in thesi dactylica *τοιοῦτον ϝέπος* I. 5: 42, ubi codd. vetusti *τοιοῦτόν τι ἔπος*, quod metro repugnat, Triclinius *τοιοῦτόν τ' ἔπος* male, Boeckh *τοιοῦτόν γ' ἔπος*. De his non est

[1] *R. Meister:* Die griechischen Dialekte auf Grundlage von Ahrens' Werk "De Græcæ linguæ dialectis". 1. Band Asiatisch-äolisch, Böotisch, Thessalisch. Göttingen 1882.

dubium. Denique non dubito ad digamma revocare *παύρῳ ϝέπει* Ol. 13: 94, de quo difficillimo loco vide Momms. Suppl. p. 186; interpunctionem Mommsenianam acceperunt Bergk et Mezger [1], qui tamen *γ'* pro *δ'* scribunt (Bergk: "fortasse *ϝέπει* præstat"). Præterea de duobus locis ambigi potest: I. 7: 45 litera paragogica abjecta facillime legi potest *ἀθανάτοισι· ϝεπέων;* nec minus arridet P. 2: 81 *ἀδύνατα ϝέπος*, quod Boeckh ipse in not. crit. proposuit, in thesi trochaica soluta, ubi nonnulli schol. vett. particulam *δέ* omittunt; hanc autem particulam sæpe pessime additam esse in carminibus Pindari satis constat (ex. gr. Ol. 6: 72, 74, *τ'* P. 2: 31). Asyndeti, quod vocatur, Pindarus amantissimus fuit, iis præcipue locis, ubi narratione fabulæ interrupta suas ipsius opiniones vel sententias generales proponit poeta. (P. 4: 29 autem in media narratione et N. 9: 7 *δ' ἐπέων* magis mihi placet, quamquam Peter p. 23 utroque loco *δ'* abjicit, nimium, ut mihi videtur, digammo indulgens.) — De *ἄγαν ἔπος* Fr. XI: 132 nihil affirmare velim, quum quali sit mensura ultima vocis *ἄγαν* syllaba non liqueat. — Post longam syllabam in consonam desinentem posita sunt Ol. 3: 8 *αὐλῶν ἐπέων*, P. 3: 113 *ἐξ ἐπέων*, P. 4: 9 *Μηδείας ἔπος*, P. 4: 57 *Μηδείας ἐπέων*, P. 4: 138 *σοφῶν ἐπέων*, P. 4: 299 *ἀμβροσίων ἐπέων*, N. 2: 2 *ῥαπτῶν ἐπέων*, N. 7: 16 *κλυταῖς ἐπέων*, I. 1: 40 *παντοδαπῶν ἔπος*, I. 3: 57 *θεσπεσίων ἐπέων*, I. 6: 19 *κλυταῖς ἐπέων*. — In initio versus leguntur N. 3: 53 *ἔπος*, N. 7: 104 *ἔπεσι;* etiam Ol. 1: 86 *ἔπεσι* huc numerandum esse censeo; Mommsen autem scribit *ἐφάψατο ϝέπεσι* et conjungit versum epodi septimum cum præcedente sexto; quod tamen utrum jure fecerit necne valde dubitari potest. Tota quæstio in versibus 57 et 86 agitur. In versu 57 omnes codices verba, quæ sunt *ὑπέρ* et *κρέμασε*, in unum conjungunt; quod si tenemus, necesse est versus conjungamus; v. 86 plurimi et optimi codices exhibent *ἐφάψατο ἔπεσσι* (recentiores soli *ἐφάψατ' ὧν ἔπεσι*, quod Boeckh accepit). Quod Mommsen (Suppl. p. 9) de geminato digammo cogitat, neque Petero (p. 24) neque mihi judici probatur [2]; quum autem syllabam ancipitem in fine coli trochaici non liceat statuere, optimum mihi visum est cum Bergkio duos illos versus sejungere. V. 57 autem sine dubitatione pro *ὑπερκρέμασε* lego *ὕπερ κρέμασε*, neque multum tribuo Bosslero [3] p. 71 affirmanti *ὑπέρ* apud Pindarum numquam a verbo sejungi. — Octies autem vox, quam insequitur *ἔπος*, elisione afficitur: Ol. 9: 47

[1] *F. Mezger*: Pindars Siegeslieder. Leipzig 1880.

[2] Cfr Giesium p. 186: "Die Verdoppelung des *ϝ* ist eine Fiction, die sowohl den Sprachgesetzen als dem historischen Thatbestande zuwider ist."

[3] *C. Bossler*: De præpositionum usu apud Pindarum. Darmstadii 1862.

ἔγειρ' ἐπέων, P. 4: 29 *δ'ἐπέων*, P. 4: 105 *οὔτ' ἔπος*, P. 6: 37 *ἄρ' ἔπος*, N. 9: 3 *ἀλλ' ἐπέων*, N. 9: 7 *δ' ἐπέων*, N. 10: 80 *ἐξαύδασ' ἔπος*, I. 5: 67 *τοῦτ' ἔπος;* bis antecedit syllaba brevis, quæ in consonam desinit neque producitur: Ol. 13: 24 *ἀφθόνητος ἔπεσσιν*, N. 6: 28 *τοῦτον ἐπέων*.

εἰπεῖν. Digamma requirunt hiatus Ol. 8: 46 *σάφα ϝείπωις*, Ol. 13: 68 *τόσα ϝειπεῖν*, N. 5: 14 *μέγα ϝειπεῖν*, N. 6: 27 *μέγα ϝειπών*, I. 5: 55 *ἄρα ϝειπών*; diphthongus in thesi longa servatur I. 3: 59 *εὖ ϝείπῃ*. Hæc omnia certissima sunt neque dubitationem admittunt. Præterea digamma usurpatum credo P. 3: 40 *τότε ϝεῖπεν*, quod quum plurimi et optimi codices habeant, cur præferant *τότ' ἔειπεν* editores, non intelligo. Bis digamma facile restitui potest: P. 4: 105 *κείνοισι ϝειπών* pro tradito *κείνοισιν εἰπών*, P. 4: 156 *ἄρα ϝεῖπεν* pro tradito *ἄρ' ἔειπεν* (cfr. I. 5: 55, Hom. Od. 5: 298 [= 355, 407, 464, 21: 248, Il. 11: 403, 17: 90, 18: 5, 20: 343, 21: 53, 552, 22: 98, 23: 143], Od. 7: 330, Il. 16: 513, 19: 257). Sed Ol. 1: 75 et plurimi vetusti codd. et omnes Moschopulei et schol. vett. lectionem vulgatam defendunt *τῷ μὲν εἶπε;* Triclinium *τῷ δ' ἔειπε* scribentem Thomanos (*τῷ μὲν ἔειπε*) emendare studuisse, Mommsen recte vidit; quamobrem conjectura Mommseni *τῷ δὲ ϝεῖπε* mihi non probatur. — Epicam aoristi figuram *ἔειπον*, qua digamma in fronte stirpis fuisse demonstratur, Pindarus quater adhibuit: Ol. 4: 23 *ἔειπεν Ὑψιπυλείᾳ*, P. 4: 229 *γᾶς. ἔειπεν*, N. 9: 33 *ἄπιστον ἔειπ'*, P. 10: 9 *(ἀν-)ἔειπεν* (fortasse etiam P. 4: 156), quas tamen figuras hic omitto, quum a litera prothetica, non a digammo eas incepisse satis constet. — In medio digamma relinquunt et P. 4: 11 *Κόλχων. εἶπε*, P. 4: 100 *καταμιάναις εἰπέ* et (in initio versus) Ol. 6: 16 *εἶπεν*, 92 *εἰπόν*, Ol. 7: 34, 65 *εἶπε*, P. 9: 119 *εἶπε*, N. 7: 57 *εἰπεῖν*, I. 5: 51 *εἶπεν*. — Non ferunt digamma Ol. 1: 52 *τιν' εἰπεῖν*, P. 8: 43 *ὠδ' εἶπε*, P. 9: 66 *ἄρ' εἰπών*, N. 7: 50 *τόδ' εἰπεῖν*, ubi antecedit vox elisa, Ol. 1: 75 *μὲν εἶπε*, Ol. 8: 62 *ἄν εἴποι*, Ol. 14: 22 *υἱὸν εἰπῇς*, P. 4: 86 *τις εἶπεν*, I. 1: 40 *ἔπος εἰπόντ'*, I. 7: 31 *ἐπάκουσαν. εἶπε*, N. 6: 65 *ἴσον εἰποιμι*, Fr. XI: 129: 4 *ἀμφέκειαν εἰπεῖν*, ubi antecedens syllaba brevis non producitur.

Cum hac voce composita sunt *προσειπεῖν* I. 1: 49, *ἐξειπεῖν* I. 1: 53; neutrum digamma prodit. — Non desunt, qui *νήπιος*, quod apud Pindarum bis legitur, P. 3: 82, Fr. XI: 25, ad hanc stirpem referant. Curtius (Grundz. p. 464) in *νήπιος* radicem *πν* agnoscit. Majore veri similitudine Curtius (Grundz. p. 461) huc retulit vocem *ἐνοπά*, cujus digamma plane evanuit; occurrit apud Pindarum Fr. XI: 47: 3.

ὀμφά. Digamma non ferunt N. 10: 34 *νιν ὀμφαί*, Fr. IV: 3: 17 *ἀχεῖ τ' ὀμφαί*, Fr. XI: 163: 2 *γλυκερώτερος ὀμφά.* Eadem est ratio apud Homerum.

ὄσσα. Hæc vox apud Pindarum semel tantum legitur Ol. 6: 62, ubi Mommsen scribit *πατρία ϝόσσα.* Knös eundem hiatum commemorat (p. 83) et dicit Boeckhium constituisse digamma hac in voce a Pindaro pronuntiatum esse. Quod errat vir doctus. Certe in editione Boeckhiana, quæ mihi in manus venit, ne verbum quidem de hac re legitur, neque in libris, qui De metris Pindari inscribuntur, hanc vocem inter eas enumerat, quas digammo instructas putat (vide l. l. caput XXII). Mommsenum in *ϝόσσα* scribendo diligentia, qua præstat, non usum esse apparet, quum ex ultima antecedentis vocis syllaba correpta *ὄσσα* a vocali litera incepisse eluceat. Atque in Supplemento (p. 59) Mommsen ipse, ut par est, digamma omittendum esse docet. — Quod autem vir de Pindaro meritissimus, ut digamma retinere liceret, ad æolicam correptionem (*πάτρια ϝόσσα*) confugit, nescio an hoc audacius quam felicius fecerit. Contra auctoritatem codicum, qui ad unum omnes *πατρία* exhibent, cavendum est, ne illi signo duorum punctorum, quod in cod. *Ambros.* ante *ὄσσα* legitur quodque Mommsen (Suppl. p. 59) in codice *Vaticano* sæpe offensionem metricam significare contendit, neve accentus fluctuationi nimium tribuamus. Mihi igitur legendum videtur *πατρία ὄσσα* ita ut digamma omissum constituatur. Ne apud Homerum quidem digamma hujus vocis satis certis nititur testimoniis.

ὄψ. In initio versus sunt P. 10: 56 *ὄπ'*, N. 3: 66, N. 7: 84 *ὀπί;* longam syllabam in consonam desinentem excipit P. 4: 283 *φαεννᾶς ὀπός*, P. 10: 6 *κλυτὰν ὄπα;* digammo obstat unus locus, N. 3: 5 *σέθεν ὄπα.*

R. *ϝερ ϝρε*, (*ϝ*)*ερέω*, *εἰρήσομαι*, *ῥηθείς*, *ῥῆμα*, *ῥῆσις.*

De vocibus Latinis et Gothicis, quæ ad hanc stirpem pertinent, vide Curt. Grundz. p. 345; ex linguis Asiæ nulla vox certa affinitate cum his conjuncta eruta est. — Digamma in fronte antiquitus positum certum est. In duobus titulis Eleis est *ϝράτρα* (Tud. p. 105, Ahr. I: 226); ***EFEPEN***, quod est in decreto Chaladriorum, Tudeer (p. 105) pro infinitivo ejusdem stirpis vocali prothetica aucto habet. In tabula Idaliensi bis legitur *ϝρητάς* [Deecke *ϝρήτας*] (Tud. p. 116, Samml. 60: 28, 29), ibidem *ἐϝρητάσαιν* (lin. 14); in *εὐϝρητάσαιν*, quod in eadem tabula (lin. 4) legitur, vocalis *υ* ex vicina consona *ϝ* orta esse videtur, sicut e contrario digamma consonans ex vocali vicina exiit in ***AFYTO***, ***Εὐϝέλθων***,

aliis, de quibus verba fecit Tud. pp. 8, 9. Incertum est *προϝρήτασται* (Samml. 86: 1). Creticum *Ὁράτριον* (in tribus titulis Tud. p. 54, Helbig p. 8) pro *ϝράτριον* dictum esse maxima veri similitudine conjecit Schneidewin, quem in hac voce interpretanda omnes fere secuti sunt. De *o* pro *ϝ* vide Curt. Grundz. pp. 556—562. Etiam *FPET(PA)*, quod quam ad dialectum referendum sit ignoramus (v. Tud. p. 127), ad nostram stirpem pertinere verisimile est. Minoris momenti sunt *Βρῆσον Βρήσω* in Lesbiaca inscriptione (Samml. 255) reperta, quum de origine parum constet (cfr. Tud. p. 129). In majore autem tab. Heracliensi bis legitur *καττὰς ῥήτρας* digammo omisso (Ahr. II: 43, Meist. Her. p. 406). Addendum est æolicum *βρήτωρ*, a Prisciano traditum (Ahr. I: 34). — In carminibus poetarum, exceptis Homericis, de quibus vide Knös. pp. 89—91, 299, 300, non multa exstant digammi vestigia; apud Theognidem spirantem consonam hujus stirpis jam evanuisse docet Renner p. 14.

(ϝ)ερέω. Apud Pindarum digammo producitur diphthongus *τοι ϝερέω* P. 4: 142, Fr. XI: 69: 2. Obstant autem digammo P. 1: 77 *δ' ἐρέω*, P. 5: 101 *λεγόμενον ἐρέω*, N. 7: 68 *ἂν ἐρεῖ;* nihil demonstrant Ol. 8: 57, P. 9: 51 *ἐρέω*. Eadem est ratio futuri *εἰρήσεται* I. 5: 59. Quæ figuræ ab *εἰρη-* incipientes quomodo sint ortæ, inter viros doctos dissensio est. Ahrens [1] § 91 primariam perfecti figuram statuit *ϝε-ϝρημαι*, quem sequitur Knös p. 89; item Curtius Gr. Gr. § 327: 13. Sed Grundz. p. 345 Curtius *εἴρηκα* ex *ἐ-ϝρηκα* ortum esse contendit et Verb. II: 128 *ἐϝρη-* eo vult confirmatum, quod apud Homerum certa digammi vestigia in formis reduplicatione, quam dicimus, affectis non inesse Knös p. 91 demonstravit. Nihilo minus eos sequor, qui reduplicationem, temporis perfecti insigne, tenent; apud Homerum figuræ ab *εἰ-* incipientes digamma si non requirunt at tamen non prohibent. Ceterum nimis confidenter Knösium contendisse, ex *ϝε-ϝρημαι εἴρημαι* exstitisse ob eam causam statuendum esse, quod ex *ἐ-ϝρημαι* fieri deberet *ἔρρημαι*, manifeste elucet; productio enim suppletoria, quæ vocatur, sequentibus consonis efficitur; quod autem in altero perfecto *εἴρηκα* productio vocalis facta est, in altero *ἔρρωγα* liquida est geminata, Curtius ad notissimam illam græcæ linguæ fluctuationem, qua exstiterunt et *ἐνν-οσί-γαιος* et *εἰν-οσί-φυλλος*, similia, retulit. — Verum fortasse vidit G. Meyer Gr. Gr. § 542, *ϝε-ϝερη-κα* figuram primariam statuens.

Metathesi, quam vocant, *ϝερ* in *ϝρε* vel, digammo amisso, *ῥε* abiit (Curt. Verb. II: 397). Traditum est apud Pindarum *ῥηθέν* bis: P. 4: 74 *εὐδένδροιο*

[1] *H. L. Ahrens* Griechische Formenlehre des Homerischen und Attischen Dialektes. Göttingen 1852.

ῥηϑέν, ubi digammo nullus locus est, et Fr. VIII: 4: 2, unde tamen Boeckh, quem sequuntur omnes, hanc vocem ejecit, quippe quæ et a sententia et a metro abhorreret; utcunque est, de digammo hinc concludi non potest.

ῥῆμα. In initio versus leguntur ῥῆμα P. 4: 278, N. 4: 6, ῥήματα N. 4: 94, ῥῆμ' I. 2: 10; neque pluribus locis invenitur hæc vox apud Pindarum.

ῥῆσις. Longam syllabam in consonam desinentem excipit N. 1: 59 ἀγγέλων ῥῆσιν; Ol. 7: 58 ῥήσιες est in versus introitu.

Ad eandem stirpem vocem, quæ est εἰρήνη, revocavit primus Giese p. 187, quem secuti sunt Curtius Grundz. p. 346, Verb. II: 129, Knös pp. 90, 323, Leskien p. 45. [1] Stirpi ϝρη (sive ϝερη) præmissa est vocalis prothetica; unde concluditur in fronte vocis εἰρήνη digammo nullum esse locum et Priscianum in versu illo ἁμὲς δ' ϝειρήναν κτλ. afferendo errasse. Quod digamma quomodo explanari posset, ingeniosissime vidit Giese l. l. — Ex ἐ-ϝρη- (vel ἐ-ϝερη-) factum est εἰρη- eodem modo atque Herodoteum εἰρέϑην ex ἐϝρεϑην. Quo quum accedat, quod apud Homerum ante εἰρήνη elidi ἐπί, corripi καί, non produci breves syllabas in consonam desinentes Knös l. l. docet, apud Pindarum nulla consonæ initialis vestigia jure exspectamus. Neque nos fallit hæc opinio. Legitur εἰρήνα apud Pindarum ter, neque ullo loco digamma admittitur: Ol. 13: 7 δμότροφος Εἰρήνα, P. 9: 23 βουσὶν εἰρήναν, N. 1: 69 ἐν εἰρήνᾳ.

Aliud verbum est εἴρομαι, interrogo, quod Knös pp. 90, 185, præeunte Curtio Grundz. p. 346, Verb. I: 304, ab ἐρέω, dicam, prorsus sejungit. Apud Homerum digamma numquam desiderat hæc vox, sæpissime non admittit. In carminibus Pindari est εἴρετο Ol. 6: 49 in initio versus. — Præterea est annotandum Mommsenum ἐρέω P. 1: 77 ad hoc verbum pertinere contendere; idem vir doct. P. 1: 75 pro αἰρέομαι (quod est in codd.) scripsit ἐρέομαι (interrogo); quod utrumque minus placet. Boeckh hic scripsit ἀρέομαι, quod cum Christio et Bergkio tenendum est; illic pro codicum δ'ἐρέω proposuit δ'ἐρέων (Christ δὲ κλέων), quod utrum accipiendum sit necne a versu 79 pendet, ubi Boeckh et Christ retinent τελέσαις; participium enim tuentur codd. et omnia scholia. Mommsen et ἐρέω et τελέσαις retinuit. Bergk, qui v. 77 δ'ἐρέω legit, ingeniose et

[1] Non debebat Tudeer (pag. 57) de origine hujus vocis dubitare propter figuram dialecticam, quæ est ἰράνα. Neque hæc figura in *plerisque* dialectis reperitur; quantum equidem scio, nisi in Boeoticæ et Cretensis dialectorum monumentis non legitur; de hac autem sonorum mutatione Boeotorum et Cretensium vide Beermann. p. 37, Meister. Dial. p. 228, Helbig. p. 34.

audacter *τελέσαιν* requirit, de qua optativi forma vide Buttmann. [1] I: 355, Curt. Verb. I: 46. — Nemo autem, quantum equidem scio, præter Mommsenum his formis interrogandi significationem tribuit (vet. schol. tamen ad v. 79: *ἀπὸ κοινοῦ τὸ αἰρέομαι, ὅ ἐστιν ἐπιθυμῶ;* aliter autem ad v. 75 *αἰροῦμαι καὶ ἀποδέχομαι — λαμβάνω καὶ λογίζομαι — λαμβάνω*); Boeckh interpretatur: "Tollam mihi ex Salaminio quidem proelio Atheniensium gratiam mercedem, Spartæ autem dicturus ante Cithæronem pugnam, quibus Medi laborarunt incurvis arcubus armati; apud pulchre aquosam vero Himeræ ripam filiis Dinomenis perfecto hymno gratiam adipiscar"; ut ad *ἐρέων* et *τελέσαις* ex iis, quæ præcedunt, audiatur *χάριν αἰρέομαι μισθόν;* cfr. expl. Boeckhii p. 237. — Curtius ad eandem stirpem retulit *ἐρωτᾶν, ἐρεείνειν, ἔρευνα, ἐρευνᾶν.* Apud Pindarum longam syllabam excipit *ἐρευνῶν* Ol. 13: 109; in fronte versus est *ἐρευνασάτω* Fr. XI: 125: 2; post voces elisas sunt Fr. III: 10: 3 *(βουλεύμαι') ἐρευνάσει,* N. 3: 24 *(τ') ἐρεύνασε; ἐρωτᾶν, ἐρεείνειν* non leguntur apud Pindarum; P. 9: 44 est *ἐξερωτᾷς.*

(ϝ)έργον, (ϝ)εργάζομαι, ἐργασία, ἐργάτις, Ἐργοτέλης, (ϝ)έρδω, ῥέζω, εὐεργεσία, εὐεργέτας, συνεργός, (ϝ)έργμα, (ἑκάεργος?).

De cognatis linguis vide Curt. Grundz. p. 180. E radice *ϝεργ* jam mature metathesi alia figura est facta: *ϝρεγ.* Qua via ex *ϝρεγ-ϳω* ortum sit *ϝρεδ-ϳω ϝρέζω* (apud Boeotos *ῥέδδω*, cfr. Beerm. p. 68, Ahr. I: 175), ex *ϝεργ-ϳω* autem *ϝερδ-ϳω ϝέρδω*, vide Curt. Grundz. pp. 483, 604, 607. — Digamma testantur et figuræ grammaticæ: *ἔοργα*, de qua vide Leskien. pp. 26 sqq. *εὐέργη*, quam vocem ab *ε* prothetico incipientem et digammo æolico more in *υ* immutato ornatam affert Pollux (v. Curt. Grundz. p. 566), *εἰργαζόμην* (apud Pindarum est *εἰργασάμαν* I. 2: 46), et voces duplicatæ, quas commemorant Knös p. 92, Sachs p. 50, Renner p. 19. — Deinde digamma in his inscriptionibus exaratum inveni: in *Boeoticis ϝεργαένετος, ϝεργονίκω, ϝέργων, ϝέργωνος* (Tud. p. 79), *ϝέργον* in titulo Olympiæ reperto, quem pro *Argivo* habet Tudeer p. 28; in titulo *Hermionensi ἐϝεργάσατο*, quod Kirchhoff pp. 150, 151 conjectura restituit pro *EFPΓΑΣΑΤΟ* male tradito (Tud. p. 32); *ϝέργων* in securi aenea, in magna Græcia reperta, quod Kirchhoff p. 154, Tudeer p. 64 ad *Achæorum* dialectum referunt; *ϝάργον* in tabula aenea *Eleorum* et Ervaoeorum foedus continente (Tud. p. 105, Ahr. I: 226, 280); *ἔϝρεξε, εὐϝεργεσίας* in titulo *Cyprio* Golgis reperto (Tud. p. 116, Samml. 71); omitto *Βάργος* (Tud. p. 106), quod quam ad stirpem pertineat,

[1] *Ph. Buttmann:* Ausführliche Griechische Sprachlehre. Zweite Ausgabe, Berlin 1830, 1839.

ambigi potest, et *ΣΛ. FEPΓ* in nummis Thessalicis (Tud. p. 74), quæ nisi conjectura huc non referuntur. [Sæpe autem est omissum: in *Tab. Heracl.* *ἐργαξήται* (bis), *ἐργαξόνται*, *ἀμπελωργικά* (Meist. Her. p. 405, Ahr. II: 42, Tud. p. 24); in titulis *Euboeensibus* *ἐργαστός*, *ἐργόθεμις*, *ἐργοξένου* (Tud. p. 11); in *Cretensi* C. I. 2555 *ἔργῳ* (Tud. 55); in decreto Amphictyonum C. I. 1688, quod Ahr. II: 409, 484, Hartmann [1] pp. 1, 2, Boeckhio repugnante (cfr. Peter. p. 7) dialecti *Delphicæ* putat esse monumentum, *ἐπιεργαζόμενον;* deinde sæpissime in figuris vocum *εὐεργέτας* et *δαμιουργός* (vide Tud. pp. 46, 50, 62, 64, 87, 88, 105, 107, 112, 127, 128; cfr. tamen Meist. Dial. p. 254)]. Eodem spectant glossæ Hesychianæ *γέργανα· ἐργαλεῖα* (*ϝόργανα*), *γαβεργόν· οὐ μισθωτός· Λάκωνες* (emend. Schmidt pro tradito *γαβεργός· ῾ρουμισθωτός*), quod *γεωργός* interpretatur Ahr. II: 46. — Denique ex poetarum carminibus vim digammi diu remansisse apparet; de Homero vide Knös. pp. 93—96, 296—298; de Hesiodo vide Sachs. p. 50, de Alcæo Ahr. I: 32; de vestigiis digammi apud Tyrtæum, Solonem, Theognidem disserit Renner p. 16. Apud Theocritum annotanda sunt *καλὰ ἔργα* 17: 6, *μέγα ἔργον* 17: 13, 22: 118, *φίλα ἔργα* 22: 42, *ὄγε ῥέξαι* 22: 118.

(*ϝ*)*έργον*. Apud Pindarum digamma requirunt hiatus: post secundam arsim dactylicam Ol. 13: 37 *τρία ϝέργα* (ubi *μέν* et *μάν* inscite inculcaverunt Byzantini), N. 10: 64 *μέγα ϝέργον*; post arsim trochaicam P. 2: 17 *ἀντὶ ϝέργων*, P. 4: 104 *οὔτε ϝέργον*, N. 7: 52 *γλυκεῖα ϝέργῳ*, P. 7: 19 *καλὰ ϝέργα*, N. 3: 44 *μεγάλα ϝέργα* (ubi cur Mommsen digamma non appinxerit, nescio). Horum omnium *μέγα ϝέργον* solum apud Homerum legitur. Ol. 13: 103, ubi Rauchenstein (teste Mommseno Suppl. p. 189) *῾Αρκάσιν ἔργα* proposuit, equidem sane mallem *῾Αρκάσι ϝέργα* scribere, sed hujus loci omnino non habeo rationem, utpote qui conjectura sola nitatur. P. 6: 41 autem, ubi nunc vulgo legitur *ὁπλοτέροισιν, ἔργον*, litera paragogica deleri et *ὁπλοτέροισι, ϝέργον* restitui potuit; *ν ἐφελκυστικόν* deest in codice Mediceo (D). Eodem modo N. 6: 30 pro *σφιν ἔργ'* legi potuit *σφι ϝέργ'; σφι* est apud Pindarum Ol. 8: 83 (cfr. Momms. Suppl. ad h. l.), N. 6: 50, utroque loco codicibus partim commendantibus, partim aspernantibus; deinde Boeckhio N. 11: 7 *σφι* scribenti pro codicum *σφιν σφισι σφισιν* omnes quos vidi editores recentiores assensi sunt; cfr. append. II. P. 5: 80 Christ et Hartung *σφι* pro tradito *σφε* legunt. — Audacius rem egit Peter p. 23, qui putat *δ'* abjici posse Ol. 6: 3 *ἀρχομένου δ' ἔργον*, ubi *δ'*, quod omnes

[1] *Th. Hartmann:* De dialecto Delphica. Vratislaviæ 1874.

codices tuentur et testatur schol. vet.: *ὁ δὲ ἀντὶ τοῦ γάρ*, nullo modo abesse potest, I. 5: 22 *μυρίαι δ' ἔργων*, ubi eodem modo neque inter codices est dissensio et scholiasta particulam *δ'* voce *γάρ* reddidit, I. 3: 7 *εὐκλέων δ' ἔργων*, ubi *δ'* in codice Mediceo est amissum et asyndeton fortasse defendi potuit; sed auctoritati ceterorum codicum et scholiastæ parendum esse videtur; præterea animadvertendum est ne amissa quidem particula *δ'* digammi certum indicium his vocibus inesse, quum *εὐκλέων* per consonam exeat. — Ab *ἔργα* incipiunt Ol. 7: 54, 88, Ol. 8: 63, 85, N. 11: 45, Fr. XI: 147: 3, ab *ἔργον* I. 7: 54, ab *ἔργοις* Ol. 2: 98, N. 7: 14, I. 5: 67, ab *ἔργοισι* Ol. 9: 66, ab *ἔργοισιν* Fr. XI: 48: 6, ab *ἔργων* Ol. 10: 23, 14: 10. — Longam syllabam per consonam exeuntem excipiunt P. 9: 92 *ἀμαχανίαν ἔργῳ*, N. 5: 40 *συγγενὴς ἔργων* (ubi codd. Tricl. et Mediceus prave exhibent *συγγενές*, quod cave credas ad digamma spectare: *συγγενὲς ϝέργων*), N. 10: 3 *μυρίαις ἔργων*, I. 3: 41 *εὐκλέων ἔργων*, I. 4: 21 *θεοδότων ἔργων*. — Non ferunt digamma initiale Ol. 6: 3 *ἀρχομένου δ' ἔργου*, P. 4: 229 *τοῦτ' ἔργον*, 233 *εἶχετ' ἔργου*, P. 5: 111 *ἐπ' ἔργοισιν*, I. 3: 7 *εὐκλέων δ' ἔργων*, I. 5: 22 *μυρίαι δ' ἔργων*, quæ vocem elisam excipiunt, Ol. 2: 17 *θέμεν ἔργων*, Ol. 5: 15 *πρὸς ἔργον*, Ol. 8: 19 *καλός, ἔργῳ*, Ol. 9: 85 *μίαν' ἔργον*, Ol. 10: 63 *εὖχος, ἔργῳ*, Ol. 13: 17 *εὑρόντος ἔργον*, P. 3: 30 *βροτοὺς ἔργοις*, P. 8: 80 *δάμασσας ἔργῳ*, N. 1: 26 *γὰρ ἔργῳ*, N. 8: 4 *πρὸς ἔργον*, 49 *μὲν ἔργῳ*, N. 10: 30 *τὶν ἔργων*, I. 2: 24 *φιλόξενον ἔργον*, I. 3: 86 *ἰσχύος ἔργον*, Fr. VIII: 4: 3 *καλὸν ἔργον*, ubi præeunt syllabæ breves per consonam exeuntes.

(ϝ)εργάζομαι bis apud Pindarum legitur. Alter locus I. 2: 46, ubi est aoristi figura *εἰργασάμαν*, quam augmento cum stirpe contracto digamma olim in fronte stirpis positum prodere supra diximus, hic non in rationem venit; altero loco hiatus post arsim trochaicam digammo summovetur, N. 5: 1 *ἑλινύσοντα ϝεργάζεσθαι*, ubi omnes codd. finalem prioris vocis vocalem per apostrophen abjecerunt neque dubitari potest, quin correctio, quam primæ acceperunt editiones Brubachiana, Moreliana, Oxoniensis, quamquam etiam Schmidio, Boeckhio, aliis de Pindaro viris meritissimis placuit, sit repudianda.

ἐργασία vocis unum solum exhibet Pindarus exemplum Ol. 8: 42 *χερὸς ἐργασίαις*, quod digamma plane spernit.

Eadem est ratio vocum *ἐργάτις* et *Ἐργοτέλης*, quibus præmissæ sunt voces elisæ et apostrophe instructæ: I. 2: 6 *οὐδ' ἐργάτις*, Ol. 12: 18 *Ἰσθμοῖ τ', Ἐργότελες*.

(ϝ)ἐρδω sæpius reperitur. Digamma desideratur ad hiatum tollendum post secundam arsim dactylicam Ol. 10: 91 *καλὰ ϝέρξαις*. Fr. XI: 24: 1 pro *τί δ' ἔρδων* Peter (p. 23) dubitat an Pindarus *τί ϝέρδων* dixerit, quod tamen in medio est relinquendum, quia, quæ præmissa sint, prorsus ignoramus. Quæ quum ita sint, quod tradiderunt veteres est tenendum, præsertim quum alia digammi omissi exempla non desint. Excipit enim hæc vox breves syllabas per consonam exeuntes Ol. 1: 64 *λελαθέμεν ἔρδων* (quid sibi velit Christianum illud *ἄρδων*, non intelligo), Ol. 8: 78 *κἄννομον ἐρδόμενον*, P. 8: 6 *μαλθακὸν ἔρξαι*, N. 3: 19 *καλὸς ἔρδων*, N. 7: 11, I. 4: 48 *τις ἔρδων*. — Nihil certi ex I. 3: 66 *πᾶν ἔρδοντ'* cognoscere possumus.

ῥέζω quater legitur. Digamma non tolerant Ol. 9: 94 *κάλλιστά τε ῥέξαις*, P. 9: 96 *καλὰ ῥέζοντ'*, ubi antecedit brevis vocalis, quæ non producitur. Missa facio *ῥέζοντας* P. 10: 34, *ῥέζοντα* N. 4: 32, quæ in prima versus sede leguntur.

De vocabulis junctis, quæ sunt *εὐεργεσίαις* I. 5: 70, *εὐεργέταν* Ol. 2: 94, P. 2: 24, 5: 41, I. 1: 47, *εὐεργέται* P. 4: 30, *συνεργόν* Ol. 8: 32 nihil habeo, quod dicam.

(ϝ)ἔργμα. Quid de hac voce sit statuendum, inter editores non satis convenit. Eandem habet originem et significationem atque *ἔργον*. Neque in Iliade neque in Odyssea hæc vox reperitur, sed ter legitur in Hymnis Homericis, qui vocantur: 27: 20 post *καί* correptum, 29: 12 post *εἰδότες* brevi ultima, 32: 19 post *κλείουσ'* elisione affectum. Obstat igitur digammo ubique. Apud Hesiodum, qui forma utitur *ἔργμα* (eadem figura est in Hymnis) bis hanc vocem inveni: Op. 801 *οἳ ἐπ' ἔργματι*, ubi Paley conjecit *οἳ ϝέργματι*, et Theog. 823 in bucolica cæsura *ἰσχύϊ ἔργματ'*, ubi Flach digamma appinxit. Apud Pindarum novies legitur. Ab *ἐργμάτων* incipiunt N. 4: 84, I. 3: 60; longam excipit syllabam per consonam exeuntem N. 6: 33 *ἀγερώχων ἐργμάτων*. Repudiant autem consonam initialem N. 1: 7 *Νεμέα Θ' ἔργμασιν*, N. 4: 6 *ῥῆμα δ' ἐργμάτων*, N. 7: 49 *μάρτυς ἐργμασιν*, I. 1: 41 *ἐφ' ἔργμασιν*, Fr. II: 12: 1 *ἐν ἔργμασι*. Restat igitur solum I. 1: 23 *ἔργματι;* apud omnes ceteros quos vidi editores ab hac voce incipit quartus secundæ antistrophæ versus; Mommsen autem hunc versum cum præcedente tertio conjungens scribi jubet *ἑκάστῳ ϝέργματι*. In ceteris strophis et antistrophis nihil impedit, quominus versus in unum conjungamus. Ad digamma confirmandum fortasse aliquid adjumenti affert spiritus fluctuatio, quæ satis magna est in hac voce. N. 1: 7 spiritus lenis est in cod. Mediceo (D) et in duobus lemmatis; ceteri *ἐρ-* exhibent; N. 4: 6 lenis est in eodem Mediceo (cum lemmate scholiastæ) et in uno Tricliniano *(η')*, N. 4: 84 in eodem

Mediceo et in Tricliniano, qui litera ε' signatur. Ceteris locis nulli alii exstant codd. nisi Vaticanus (BB), Mediceus (D) et passim apographi ejus, Tricliniani, excepto N. 6: 33, ubi incipit fragmentum quattuor codicum familiæ Parisino-Venetæ. N. 6: 33 autem de aspero inter codices convenire videtur. Codex Vaticanus asperum exhibet, exceptis N. 7: 49, ubi lenem B et B, asperum Mediceus et Tricliniani defendunt, et I. 3: 60, ubi in B duplex spiritus signum, in D et apographis spiritus lenis, in Triclinianis solis asper legitur. I. 1: 23 inter omnes fere convenit; I. 1: 41 Vaticanus solus veram lectionem *ἔργμασιν* exhibet, ceteri *ἅρμασιν*, exceptis duobus Mediceis, ubi est *ἄρμασιν*.

ἐχάεργος P. 9: 28. Hujus vocis duplicatæ membrum posterius quin antiquitus a digammo inceperit, nemo dubitat. Sed ambigitur, quænam fuerit hæc altera pars; quamobrem etiam de significatione inter viros doctos non convenit. Cfr. Curt. Grundz. p. 181, Knös. p. 92. Nonnulli hanc vocem ad stirpem verbi *εἴργειν* pertinere contendentes "*ἐχὰς εἴργων*" "averruncus" interpretantur (Autenrieth autem in Lex. Hom. "als Todesgott fernabdrängend, fernabschliessend ins Grab oder die Unterwelt"), alii (Crusius, Knös, Seiler in Lex. Hom., Ameis ad Od. 8: 323) ab eadem stirpe atque *ἔργον* deducendum esse *ἐχάεργος* censent, ut interpretandum sit "e remoto agens" ("ferntreffend"); neque desunt, qui in hac voce novam radicem latere divinaverint.

R. *ϝεσ*, *(ϝ)εσθάς*, *εἷμα*, *ἕννυμι*.

Hanc stirpem a digammo olim incepisse ex uberrimis testimoniis manifeste apparet, quamquam ex inscriptionibus nihil quod ad hanc stirpem pertinet erutum est. Primum enim in aliis linguis vocibus hujus stirpis præfixa est litera *v*; cfr. Curt. Grundz. p. 379. Deinde Hesychius multas affert glossas, in quibus digamma agnoverunt viri docti: *γέμματα· ἱμάτια*, quod Ahrens I: 31 propter geminatam liquidam Lesbiorum dialecto attribuit; *γῆμα· ἱμάτιον*, quod Ahrens II: 54 pro Atticorum *εἷμα* severioris Doridis esse jure suo contendit; *γεστά* (corr. pro *γεστία*)· *ἔνδυσις; γέστρα* (Ahr. *γεσιρά*)· *στολή; γεῖθρον· ἔνδυμα;* in corrupta glossa *βεσόν· ἔθος. καὶ ὁ τῶν ἐθῶν ἔμπειρος. Λάκωνες δὲ βεστικὸν τὰ ἔσον. . . .* Ahrens Dor. p. 46 latere credit *βεστόν· ἐσθής. βεστικός· ὁ τῶν ἐσθήτων ἔμπειρος. Λάκωνες* (in Etym. Magn. est *βέσιον· τὸ ἱμάτιον ὑπὸ Λακώνων. οἱ δὲ βέτιον· Διογένης*); *ὕεσις* (corr. pro *ὕεσι*)· *στολή. Πάφιοι; ὑεσιάκα· ἱματισμός* (Curt. conj. *ἱματισμόν*); cfr. Curt. Grundz. p. 551, Savelsberg. p. 19. Tum hiatus in multis

vocibus duplicatis digamma pristinum produnt; de quibus vide Knös. p. 104; apud Pindarum leguntur *ἐπιεσσόμενος* N. 11: 16, *ἐπιεσσάμενοι* N. 10: 44. — Denique apud Homerum digammi vestigia frequentissima esse testatur Knös l. l. De Hesiodo vide Sachs. p. 49. Apud Aristophanem semel *ἔσθος* in hiatu est, Lysistr. v. 1096. — Pro *εἷμα* cave apud Pindarum exspectes *ἧμα*, quod severioris Doridis est; ne æolicæ quidem formæ *ἔμμα* in codd. vestigium reperitur, quamquam æolicas pronominum formas *ἄμμες*, *ὔμμες* semper (excepto *ὑμῖν* I. 2: 30) usurpat et in adjectivis, quæ sunt *κελαδεννός*, *χλεεννός*, *φαεννός*, liquidam æolico more geminatam admisit.

ἐσθάς, de cujus spiritu cfr. Curt. Grundz. p. 675, apud Pindarum bis legitur; digamma non fert P. 4: 79 *ἔκπαγλος· ἐσθάς*; de altero loco, P. 4: 253 dubitatum est. Codices ad unum omnes exhibent *ἐπεδείξαντο χρίσιν ἐσθᾶτος*, quam lectionem olim ab editoribus (velut a Schmidio) acceptam hodie inter edd. recentiores Bergk solus in contextum carminis intulit. Sed solvitur thesis epitriti secunda apud Pindarum rarissime; sola hujus solutionis quæ inveni exempla sunt N. 5: 10, 6, 12 (in primo systemate), I. 3: 72, sed carmini N. 5 multas inesse licentias Dorio modo parum congruentes Boeckh ipse (de metr. Pind. p. 279, not. crit. p. 526) observavit; pariter Alexanderson p. 249; etiam I. 3 a numeris Doriis aliquantum recedit; constans est dissolutio I. 2: Ep. 6. In carmine autem P. 4, cujus numeros prorsus Dorios (dactylo-epitriticos) agnoverunt et Boeckh et Alexanderson, non potuimus non mirari, si inter tredecim epodos nostro solo loco solutum pedem admisisset poeta. — Quæ quum ita sint, conjecturis versus sanandus videtur. Neque desunt virorum doctorum conata. Boeckh, qua est exquisita doctrina, *ἐπεδείξαντ' ἀγῶν' ἐσθᾶτος* veram lectionem probare studet (not. crit. p. 460); aliter Hermann (de dial. Pind. obs. p. 6), qui collato *φάτις* P. 3: 112 scribi jubet *ἐπέδειξαν χρίσις* (pro *χρίσιας*). Ceteras conjecturas, quas in annotationibus Mommseni et Bergkii collectas videmus, hic prætereo. — Primum quæritur, utrum activum *ἐπέδειξαν* an medium, quod omnes codd. tuentur, *ἐπεδείξαντο* præferendum sit. *ἐπιδείκνυμι* neque apud Homerum neque apud Hesiodum legitur; quamobrem nescio an noster locus antiquissimum sit hujus verbi monumentum in literis quæ quidem nunc exstant græcis; præter nostrum locum invenitur apud Pindarum N. 11: 14 et Fragm. II: 4: 2. Usurpatur autem sæpissime hoc verbum de eo, qui quadam suæ ipsius virtutis fiducia, quid valeat, ostendit vel qui ante oculos aliorum aliquid ponit, quo se gratias vel laudes adepturum esse speret; prorsus fere eadem est significatio latini verbi, quod est *ostentare*, ut apud Terentium: *ostentare cicatrices suas*. Hac in signi-

fication apud Græcos medium est usitatius; cfr. apud Platonem *τοῖς ἐπαινέταις τὴν ἑαυτοῦ σοφίαν ἐπιδείκνυσθαι.* Neque tamen ab activo aliena est hæc verbi vis. Apud Pindarum ipsum legitur N. 11: 14 *ἔν τ' ἀέθλοισιν ἀρισταίων ἐπέδειξεν βίαν,* quod nostro loco simillimum est (Boeckh vertit: in certaminibus excellens ostentavit robur). Hoc loco fretus etiam P. 4: 253 activum legi posse contendo. Quod schol. in paraphrasi "*ἐν τοῖς ἀγῶσιν ἐπεδείξαντο τῶν μελῶν τὴν ἀνδρείαν καὶ τὴν κρίσιν, ἀγωνιζόμενοι περὶ ἐσθῆτος*" medialem formam sua ætate magis usitatam adhibuit, nullam movet dubitationem. Cfr. Ol. 1: 13, P. 1: 49, 4: 130, 6: 48, Fr. XI: 124, ubi Pindarus activa forma verbi *δρέπειν* usus est, quamquam N. 2: 9, Fr. IX: 1: 6, IX: 2: 1 medium usurpavit, quod est usitatius. (N. 4: 55, ubi Dissen participio *προστραπών* medialem attribuit significationem, Mommsen melius est interpretatus). Ol. 8: 59 *διδάξασθαι* eodem sensu dictum est atque *διδάξαι.* — Si igitur *ἐπέδειξαν* legimus, nihil aliud corrigendum est, dummodo voci *ἑσθάς* digamma præfigamus. *ἐπέδειξαν κρίσιν* autem Mommsen jure suo docet zeugmate dictum esse pro *ἐπεδείξαντο τὴν ἀνδρείαν* et *ἐποιήσαντο τὴν κρίσιν.* — *ἐπέδειξαν κρίσιν ἑσθᾶτος* Pauwio ipsi placuit, qui tamen *γ'* male inculcavit.

εἷμα semel legitur post *Ἰάσων* P. 4: 232, ubi digammo nihil obstat.

Neque sæpius invenitur *ἔννυμι.* Est P. 4: 204 *Ποσειδάωνος ἔσσανι'*, ubi digamma non toleratur. Hoc loco plurimi codices exhibent *ἔσσανι'*.

(ϝ)εσπέρα, ἑσπέριος, ἕσπερος.

Curtius Grundz. p. 380, ubi collectæ sunt voces aliarum linguarum cognatæ, opinatur radicem esse *vas*, unde in græca lingua derivantur *ϝέννυμι, ϝεῖμα.* — In titulis digamma inventum est: *ϝεσπαρίων* legitur in majore tabula aenea Oeantheæ effossa, quæ decretum Locrorum Hypocnemidiorum de coloniis Naupactum deducendis continet (Tud. p. 44, Allen p. 43); in titulo Thespiensi est *ἀπὸ ϝεσ*, quod compendium scribendi esse pro *ϝεσπέρας* putant viri docti (Tud. p. 79, Meister Dial. p. 254). Apud Hesiodum Op. 552 *(ἄλλοτε μέν θ' ὗει ποτὶ ἕσπερον, ἄλλοι' ἄησι)* et apud Homerum Od. 17: 191 *(ἦμαρ, ἀτὰρ τάχα τοι ποτὶ ἕσπερα ῥίγιον ἔσται)* difficillimus hiatus, qui est inter cæsuras semiquinariam et bucolicam digammo expletur. De ceteris locis Homericis vide Knös. p. 107; apud Sappho Fr. 95: 1 post Welckerum omnes legunt *ϝέσπερε* in initio versus, quum in Etymologico Gudiano sit *φέσπερε*, apud ceteros, qui hunc versum afferunt, *ἕσπερε* (Ahr. I: 32, Meist. Dial. p. 105; cfr. Curt. Grundz. p. 587, Meyer. Gr. Gr. § 238).

(ϝ)εσπέρα. Hiatum post arsim trochaicam explet digamma I. 7: 44 *δὲ ϝεσπέραις,* quod tamen Tricliniani soli codices exhibent; in codicibus vetustis eliditur *δέ.* — Ab *ἑσπέρας* incipiunt versus Ol. 3: 20, P. 4: 40. — Præpositionem *σύν* non producitur ante *ἑσπέρᾳ* P. 11: 10. — Semper in codicibus hæc vox a spiritu aspero incipit, exceptis P. 4: 40 cod. D et I. 7: 44 cod. D.
ἑσπέριος bis legitur, P. 3: 19, N. 6: 38, utroque loco in initio versus.
ἕσπερος Ol. 10: 73 elisam particulam *δ'* subsequitur: *ἐν δ' ἕσπερον.*

(ϝ)ἑτος, ἔτειος.

Curt. Grundz. p. 208. Digammi vestigia abundant in titulis. Leguntur enim *ϝέτος ϝέτεος ϝέτει ϝέτη ϝετέων* quindecies in majore tabula *Heracliensi* (Tud. p. 22, Meister. p. 403); *ϝέτεα* bis in titulo *Laconico*, Tegeæ reperto, (Tud. p. 13; minus certum *ϝετῶν* in eadem inscr.); *ϝέτος ϝέτεα* in majore tabula *Locrica* (Tud. p. 44, Allen p. 43); *ϝέτεα* in titulo *Sylleio* (Tud. p. 60); *ϝέτια Εὐϝετειρίς ϝικατιϝέτιες* in titt. *Boeoticis* (Tud. p. 79, Meister Dial. p. 254); *ϝέτεα* in foedere *Eleorum* et Ervaoeorum (Tud. p. 105, Ahr. I: 226); *ϝέτει* in tabulis *Idaliensibus* et aenea et bilingui (Tud. p. 115, Samml. 59: 1, 60: 1). Omissum autem est in titulo Cyprio Golgis reperto (Tud. p. 121, Samml. 73), siquidem *ἔτι* jure suo viri docti pro *ϝέτει* acceperunt, et in eadem Cypria inscriptione, ubi est *ϝεικόνα* (Samml. 76); in tabulis Heracliensibus legitur *πενταέτηρίδα* (Tud. p. 24, Meister p. 398); *ἔτος* etiam est in titulo Halicarn., quem apud Meisterum l. l. commemoratum vidi; neque tamen *ἔτος* umquam ab Atticis pronuntiatum esse videtur; Allen p. 50 "*ἔτος* haud raro in Atticis" unde hauserit, nescio; Cauer quidem tacet pp. 277 sqq; cfr. Curt. Grundz. p. 676, Giesium pp. 304—306. — Huc accedunt glossæ Hesychianæ *γέτος· ἐνιαυτός, γέτορ· ἔτος* (Ahr. II: 54); propter *διαβέτης* in titulis Laconicis scriptum Ahrens huic dialecto *βέτος* attribuit (II: 46). Plura collegit Knös p. 108. — Mirandum sane est harum vocum digammi tam pauca exstare monumenta apud poetas. De usu Homerico disputavit Knös pp. 108, 109; apud Hesiodum producitur *τρίς* ante *ἔτεος* Op. 173; apud Aristophanem in hiatu est *ἐτῶν* Acharn. 782. — Tum vis digammatis ex hiatu multarum vocum junctarum elucet; quas collegit Knös p. 109; jure autem Renner p. 19 monet, hujusmodi composita ne a soluta quidem oratione abesse. Apud Pindarum leguntur *πενταετηρίς* Ol. 3: 21, 10: 57, N. 11: 27, Fr. XI: 102: 1, *ἑκατονταετής* P. 4: 282, *τριετηρίς* N. 6: 40. Ex voce, quæ est *ἑξέτης*, N. 3: 49, nihil concludere licet.

(ϝ)ἑιος. Digamma summovet hiatum *γε ϝετέων* Ol. 2: 93, ubi Ambrosianus codex solus veram servavit lectionem (in ceteris eliditur *γ'*); Fr. X: 4: 2 *ἐνάτῳ ϝέτει* diphthongus longa servatur. Neque obstat digammo N. 11: 40 *πάσαις ἐτέων;* eadem est ratio Fr. XI: 133: 2, ubi Christ bene conjecit *πρεσβυτέραν ἐτέων ἀριθμοῦ*.

ἔτειος semel solum legitur, I. 3: 85, *ἅμαρ ἐτείων*, quod digamma non accipit.

R. *ϝιδ*, *(ϝ)οῖδα*, *(ϝ)ίσαμι*, *(ϝ)ἰδον*, *εἶδον*, *(ϝ)είδομαι*, *(ϝ)εῖδος*, *εἴδωλον*, *ἰδέα*, *(ϝ)ίδρις*, *ἴστωρ*.

Labialem spirantem, a qua incipit hæc stirps, in omnibus fere linguis cognatis agnoscere licet; cfr. Curt. Grundz. p. 241. Testantur autem eam inscriptiones opinione pauciores; quantum enim equidem scio, digamma nisi in titulis *Boeoticis ϝίστωρ ϝίστορες* non exaratum est (Tud. p. 80, Meister Dial. p. 255, Beermann p. 53); semel *ϝίστορες* pro tradito *εἴστορε* Ahrens (II: 516) restituit; prorsus incerta sunt *ϝιδήμων*, quod Boeckh in C. I. 1574 conjecit pro *ἠλήμων*, et *ϝιδρίαο*, quod in tit. Lebadeensi pro *Νιδρίαο* legi jussit idem vir doctissimus; cfr. Tud. p. 80, Ahr. I: 170. In epigrammate Balbillæ C. I. 4731 (Samml. 321: 6) *ἴδριες* digammo caret; item in Balbillæ epigrammate C. I. 4725 (Samml. 320: 6) scriptum est *ἐσίδων;* ibidem (lin. 14) æolico more vice digammi fungitur *υ* in *εὔιδε* (Tud. p. 65, Meister Dial. p. 110). Pro *ϝ* scriptum est *β* in *Cretico Βιδάταν* (seu *Βιδατάν*), quod refutatis aliorum sententiis ad hanc stirpem retulit Helbig p. 6, assentiente Tudeero p. 52. Alia exempla *β* pro *ϝ* scripti sunt in titulis *Laconicis* recentioris ætatis *Βειδίππος, Βειδίππου, βίδεος, βιδέου, βίδεοι, βιδέων, βίδνος, βίδνοι* (Tud. pp. 14, 15, Ahr. II: 47). — Eodem pertinent glossæ *βιδεῖν* (Ahr. mavult *βιδῆν;* cfr. Ahr. II: 158) pro *ἰδεῖν* in Etym. Gud. (Ahr. II: 44 not. 7), *γοίδημι· ἐπίσταμαι*, quod Ahrens I: 136, II: 55 jure suo æolicum vocat; *γοῖδα· οἶδα; γισάμεναι* (quod corr. Ahr. II: 316 in *ϝισάμεν* [1], retinuit Curt. Verb. II: 231)· *εἰδέναι*. — Deinde ad consonam initialem confirmandam præsto sunt voces junctæ et figuræ grammaticæ, inter quas Pindaricas enumerabo (Homericas congessit Knös pp. 114, 120, exempla e poetis elegiacis collecta affert Renner pp. 1-, 19). Leguntur in carminibus Pindaricis: *ἄϊδρις* P. 2: 37, *ἀϊδροδίκας* N. 1: 63, *ἀΐστόω* P. 3: 37, *ἀΐδας* Ol. 8: 72, 9: 33, 10: 92,

[1] *ϝίσαμεν*, syllaba antepænultima accentu notata, quid sibi velit apud Ahr. II: 55, nescio, nisi negligentiæ typographi attribuendum est.

P. 3: 11, 5: 90, N. 7: 31, 10: 67, I. 1: 60, 5: 15 (P. 4: 44 autem disyllabum esse *Ἄιδα* neque retinendam esse lectionem codicum *ἄΐδα* jure suo monet Boeckh not. crit. p. 460); mitto *εὐειδής* I. 7: 28, *προϊδεῖν* N. 1: 27, *εἰσιδέτω* I. 7: 36; prorsus evanuit spirans consona in *προσιδέσθαι* P. 1: 26. — De *εἶδον* ex *ἐ-ϝιδ-ον* orto hodie inter omnes constat, quamobrem figuram, quam invexit Bekker, *ϝεῖδον* jure suo repudiaverunt quum alii tum Knös pp. 111, 113, Leskien pp. 30, 33, qui apud Homerum nullum locum digamma prorsus desiderare ostenderunt. Neque aliter rem se habere apud Pindarum mox apparebit, si exempla in examen vocabimus. Ut enim *εἶδον* P. 2: 54, Fr. XI: 47: 4, *εἶδεν* N. 4: 66, quæ in initio versus sunt posita, et N. 1: 56 *μιχθείς. εἶδε*, I. 2: 18 *εὐρυσθενὴς εἶδ'*, ubi vox prior per syllabam exit longam, omittamus, digamma plane respuunt Ol. 10: 100 *τὸν εἶδον*, P. 4: 111 *πάμπρωτον εἶδον*, P. 9: 98 *Παλλάδος εἶδον*. — *ἐειδόμενος*, participii figura verbi *εἴδομαι* vocali prothetica instructa, legitur N. 10: 15; cfr Homericum *ἐεισάμενος*. — Diphthongum vocum *εἴδομαι* et *εἶδον* non ejusdem generis esse et inter *ϝείδ-ομαι, ἐ-ϝιδ-ον, ϝοῖδ-α* plane eandem intercedere vocalium rationem atque inter *λείπ-ω, ἔ-λιπ-ον, λέλοιπ-α* non opus est commonere. — De perfecto *οἶδα* sine reduplicatione, quæ dicitur, formato vide Meyer. § 547, Curt. Verb. II: 146; utrum autem cum Meyero § 550 *ϝειδώς* pro reduplicato *ϝε-ϝιδ-ώς* et *ϝιδυῖα* pro forma reduplicatione carente accipiamus, an cum Curt. Verb. II: 192 hoc discrimen ad rationem stirpium referamus, ut in *οἶδα* alteram stirpis *ϝιδ* amplificationem statuamus, in *ϝειδ- (ϝειδῶ, ϝειδείην* cet.) alteram agnoscamus, quæ in feminino part. attenuata sit in *ϝιδ-* eodem modo atque *ἀρηρώς* in *ἀραρυῖα, τεθηλώς* in *τεθαλυῖα* (Curt. Verb. II: 193), in medio relinquo. Utut res explicatur, de digammo his figuris præfixo non licet dubitare. — Tum in carminibus poetarum manifesta digammi testimonia apparent. Knös, qua est eximia diligentia, Homerica carmina perscrutatus est pp. 111—121. De Hesiodo vide Sachs. p. 54. Apud Epicharmum digammo tollitur hiatus Fr. 98: 1 *σάφα ἴσαμι* (Arens [1] p. 9); nonnumquam autem digamma est omissum; cfr. Ahr. II: 44. Apud Sappho Fr. 2: 7 Ahrens legit *ὥς σε γὰρ ϝίδω*, Bergk *ὡς γὰρ εὔιδον* (codd. *ὡς γὰρ σ' ἴδω*). Sed fr. 101: 1 *ὅσσον ἴδην*, fr. 69: 1 *προσίδοισαν;* neque audet Ahrens (I: 33) Fr. 36 *οὐ ϝοῖδ'* pro tradito *οὐκ οἶδ'* scribere. Apud Theocritum in hiatu sunt *φίλα εἰδώς* 17: 18, *σάφα εἰδώς* 25: 37, *μέγα εἶδος* 25: 40. De poetis elegiacis disputat Renner p. 17, qui etiam nonnulla exempla ex poetis Atticis affert.

[1] *J. Arens*: De dialecto Sicula. Monasterii 1868.

(ϝ)οἶδα. Digamma tollit hiatum Fr. X: 8: 2 *χθόνα· ϝοῖδεν* post arsim dactylicam secundam et Ol. 2: 86 *πολλὰ ϝειδώς* post arsim trochaicam. Ante digamma producitur *εὖ* in anacrusi N. 4: 43 *εὖ ϝοῖδ'*. Præterea pro *οὐκ εἰδότες* N. 6: 6 et *οὐκ ἰδυῖα* Fr. XI: 72: 2 fortasse scribi possunt *οὐ ϝειδότες, οὐ ϝιδυῖα;* sed omnino ut in re incertissima caute agendum est; cfr. Leskien. p. 50. Mommsenum I. 3: 53 *καταμάρψαι. ϝίσιε* scholiastam secutum nescio an Bergk jure suo vituperaverit· Codices, quos in Isthmiis perpaucos esse valde dolemus, omnes *καταμάρψαισ'* exhibent, et re vera ille infinitivus hoc loco minus aptus videtur, quamquam in usu infinitivi quum aliis poetis tum Pindaro licentiam quandam attribuendam esse nemo est, qui neget; cfr. Hallström. [1]) p. 9. *καταμάρπτειν* autem, ut Od. 24: 390 de senectute, ita nostro loco de fortuna dictum est. Vitium scholiastæ ad antiquam scribendi rationem (quam etiam apud Schmidium repetitam invenimus) referendum esse intellexit Bergk. — In initio versus leguntur *οἶσθα* P. 9: 45, *οἶδεν* Fr. X: 8: 3, *εἰδότι* Ol. 8: 60, P. 4: 142, *ἴσθι* Ol. 11: 11, N. 5: 48, *ἴστω* Ol. 6: 8, N. 9: 45, I. 6: 27 *ἴστε* P. 4: 117, I. 3: 15; longam syllabam per consonam exeuntem excipit (præter N. 6: 6, Fr. XI: 72: 2) *μανθάνων οἶσθα* P. 3: 80. — Obstant autem consonæ initiali et I. 3: 53, ubi lectionem codicum retinendam esse paululo ante dixi, et Ol. 2: 56 *τις οἶδεν*, Ol. 13: 44 *ἄν εἰδείην*, ubi antecedunt syllabæ breves in consonam desinentes. Plusquamperfecti figura non est apud Pindarum.

(ϝ)ίσαμι (cfr. Curt. Verb. II: 231) ter in carminibus Pindari invenitur. P. 3 29 *πάντα ϝίσαντι* digammo hiatus summovetur post priorem arsim dactylicam. Sed N. 7: 14 *ἔσοπτρον ἴσαμεν* et P. 4: 248 *οἶμον ἴσαμι* hæc vox syllabam brevem insequitur.

(ϝ)ίδον. Digamma postulant hiatus Ol. 9: 62 *τε ϝιδών*, Ol. 14: 16 *ἐρασίμολπε, ϝιδοῖσα*, Fr. XI: 47: 5 *δὲ ϝιδόντα*, omnes post priorem arsim dactylicam. In thesi trochaica producta servatur ante *ϝίδον* ultima vocis *ἐπεί* syllaba P. 5: 78. Ol. 14: 22 Hermann, Schmidium secutus, scribit *ὄφρα ϝιδοῖσ'* (v. 10 conjecit *ἐνουρανίων*), quod tamen, quum nullis codicum subsidiis adjuvetur, mittendum esse censeo. — Post syllabam longam, quæ per consonam exit, leguntur Ol. 3: 31 *μεθέπων ἴδε*, Ol. 13: 109 *ὡς ἰδέμεν*, P. 8: 39 *ἑπταπύλοις ἰδών*, N. 10: 61 *πεδαυγάζων ἴδεν*; ab *ἰδοῖσα* incipit Ol. 2: 41, ab *ἴδετ'* Fr. IV: 3: 1, ab *ἴδετε* Fr. IV: 3: 8. — Bis solum vocem elisione affectam insequitur *ἴδον:* Ol. 6: 53 *οὔτ' ἰδεῖν*, Ol. 14: 22 *ὄφρ' ἰδοῖσ';* sæpius autem antecedit brevis syllaba per

[1] *R. S. A. Hallström:* Quæstiones Pindaricæ. Upsaliæ 1880.

consonam exiens: Ol. 10: 36 *πολλὸν ἴδε*, P. 1: 72 *ὕβριν ἰδών*, P. 3: 94 *βασιλῆας ἴδον*, P. 4: 123 *γόνον ἰδών*, 294 *οἶκον ἰδεῖν*, P. 10: 26 *υἱὸν ἴδῃ*, N. 4: 91 *τις ἴδῃ*, N. 6: 8 *συγγενὲς ἰδεῖν*, N. 7: 25 *ἀλάθειαν ἰδέμεν*, N. 8: 8 *λιτάνευον ἰδεῖν*, I. 3: 68 *μὲν ἰδέσθαι*, I. 6: 22 *ἔκπαγλος, ἰδεῖν*, Fr. IX: 2: 9 *ἂν ἴδω*, Fr. X: 8: 1 *ὅστις ἰδών*. — Figurarum a diphthongo *ει-* incipientium nullam esse rationem habendam jam supra diximus.

Verbi *(ϝ)είδομαι* (Curt. Verb. I: 219) duobus locis comparet participium; alter propter hiatum post arsim dactylicam secundam digamma requirit, P. 4: 21 *ἀνέρι ϝειδομένῳ;* de altero, N. 10: 15, ubi legimus *ἐειδόμενος*, figuram vocali prothetica ornatam, jam verba fecimus.

(ϝ)εῖδος quater legitur. Digammo summovetur hiatus post arsim dactylicam secundam Ol. 8: 19 *κατὰ ϝεῖδος;* ab hac voce incipit P. 2: 38. Omissa est consona initialis bis: *θαητὸν εἶδος* P. 4: 264, 9: 108.

εἴδωλον digamma non accipit Fr. X: 2: 3 *αἰῶνος εἴδωλον;* neque aliis locis legitur hoc substantivum apud Pindarum.

ἰδέα semel solum repperi, Ol. 10: 103, in initio versus.

Neque sæpius legitur *ϝίδρις;* digamma autem valere apparet ex hiatu post arsim trochaicam *τε ϝίδριν* Ol. 1: 104. De *ἄϊδρις* et *ἀϊδροδίκας* vide supra.

ἴστωρ. Ol. 13: 103 Christ scripsit *Ἀρχάσιν ἴστωρ*, ubi equidem sane mallem *Ἀρχάσι ϝίστωρ*. *Ἀρχάσι* est lemma in codice Gotting.; quum autem *ἴστωρ* conjecturæ Christii soli debeatur, nulla ratio hujus vocis habetur.

(ϝ)ἔοικα, ἴκελος.

Has voces olim a consona incepisse jam dudum inter omnes constat, sed quænam fuerit hæc litera, inter viros doctos valde est concertatum; ad spirantem palatalem confugit G. Curtius (in prioribus Elementorum Etymologiæ Græcæ editionibus), quem secuti sunt Leskien p. 19, qui ad digamma demonstrandum argumenta e rationibus metricis repetita non sufficere suo jure contendit, et Knös, qui quomodo e radice **δικ *δϳικ *ϳικ* deducendæ sint formæ Homericæ pp. 160—162 exponit; quam tamen formarum interpretationem Knös ipse p. 360 missam facit. Digamma agnoverunt Doederlein, qui *ἔοικα* verbum *ἰδεῖν* cognatione attingere contendit, Savelsberg, qui glossa Cyrilli Bremensis *βείκιλον· ὅμοιον* nisus Græcum *ϝῖσος* conferri jubet, Ahrens I: 33, II: 42, 44, quem sequitur Arens p. 9, Sachs p. 46, G. Meyer Gr. § 550, Fick, qui ad radicem

ϝικ, cedo, (Curt. Grundz. p. 135) has voces refert. Hanc sententiam Curtius ipse in quarta Elementorum editione amplecti videtur (p. 648); alio loco autem (Verb. II: 132) idem dicit digamma verisimile sed certis indiciis nondum demonstratum esse. In editionibus suis Christ et Mommsen *ϝ* scripserunt. Ad dubitationes tollendas maximum affert adjumentum *ϝεικόνα* in titulo Cyprio repertum, de quo vide Tud. p. 114 (Samml. 76). — De Homerico usu vide Knös. pp. 163—165. Apud Epicharmum Fr. 113: 1 est *ἀγρόθεν ἔοικε*, ubi vi digammatis produci syllabam *θεν* contendunt Ahrens II: 44, Arens p. 9. Apud Theocritum sunt in hiatu *ἀνδρὶ ἐοικώς* I: 41, *Ἑλένῃ εἰκνῖα* XV: 110. De Hesiodo cfr. Sachs. l. l.

(*ϝ*)*ἔοικα*. Apud Pindarum unum certum consonæ initialis indicium exstat P. 3: 59 *χρὴ τὰ ϝεοικότα*, ubi hiatum post priorem arsim dactylicam prohibet digamma. Deinde Fr. XI: 69: 5 pro tradito *κρύπτειν ἔοικεν* legi potuit *κρύπτεν ϝέοικεν*, admissa dorica infinitivi forma, quam testibus libris et scholiis Pindarus usurpavit Ol. 1: 3, P. 4: 115 et fortasse Ol. 3: 25, P. 4: 56. Sed jure suo mihi videtur Peter p. 57 animadvertere, de his formis certum judicium vix umquam fieri posse; quamobrem hoc fragmentum intactum relinquo. — Novies autem in carminibus Pindari digamma non patitur hæc vox: post voces elisas N. 2: 10 *ἔστι δ' ἐοικός*, N. 3: 19 *ἔρδων τ' ἐοικότα*, N. 7: 58 *τὶν δ' ἐοικότα*, I. 1: 46 *ἄμμι δ' ἔοικε*; post brevem syllabam, quæ non producitur, Ol. 1: 35 *φάμεν ἐοικός*, P. 1: 34 *οὖρον· ἐοικότα*, I. 3: 63 *γὰρ εἰκώς* (de forma *εἰκώς* cfr. G. Meyer. Gr. Gr. § 550, Curt. Verb. II: 192), I. 4: 22 *τὸν ἐοικότ'*, Fr. IV: 7: 2 *γὰρ ἐοικός*. Mitto Ol. 4: 27 *ἀλικίαις ἐοικότα* (apud Mommsenum *ἐοικότα* in fronte versus legitur), P. 2: 29 *παθὼν ἐοικότ'*, N. 4: 32 *παθεῖν ἔοικεν*, (Fr. XI: 69: 5 *κρύπτειν ἔοικεν*), Ol. 13: 98 *ἔοικεν* (in initio versus).

Ad eandem stirpem referendum est adjectivum *ἵκελος*, quod semel tantum apud Pindarum legitur, P. 2: 77, *ἀλωπέκων ἵκελοι*, ubi digamma rationibus metricis neque desideratur neque respuitur. Sed annotandum videtur omnes fere codices vetustiores *ἴκελοι* exhibere eadem spiritus fluctuatione, quam in *ἑός*, *ἀδεῖν* al. animadvertere licet.

In juncto vocabulo, quod est *ἐπέοικεν*, N. 7: 95, vis digammatis plane evanuit.

Etsi *ἔοικα* et *ἵκελος* digamma in fronte habuisse post repertum illum titulum Cyprium mihi quidem persuasum est, pro certo tamen non ausim statuere, has voces ad eandem stirpem pertinere, quæ in *εἴκω*, cedo, latet; neque enim significationum rationes in liquidum perductæ mihi videntur, quamquam Cur-

tius (Grundz. p. 648) significationum transitum latinis vocibus *vicem*, *vice*. *in vicem*, quas nonnumquam idem atque *pariter alicui*, *modo alicujus* significare satis constat, ostendi credit. Hoc autem *εἴκω* apud Pindarum semel occurrit, I. 1: 5 *εἶξον*, in fronte versus. — *ἴχνος*, quod Curtius, quem sequitur Knös, dubitanter ad hanc stirpem refert (Grundz. p. 493; cfr. Meyer. Gr. Gr. §. 208), quodque apud Homerum digamma aspernari docuit Knös p. 123, N. 6: 15 primam obtinet versus sedem, P. 10: 12 *ἐμβέβακεν ἴχνεσιν* syllabam ancipitem sequitur; cave autem conjicias *ἐμβέβακεν ϝίχνεσιν;* quinquies enim brevis syllaba legitur (vv. 30, 42, 48, 60, 66), bis tantum longa (vv. 6, 24). Per totum autem carmen ancipitis syllabæ indulgentiam quandam juvenilem regnare jure suo animadvertit Mommsen. — Deinde ante *ἰχνεύων* non producitur *γάϙ* P. 8: 35.

(ϝ)*οἶκος* (*οἶκοι*, *οἴκαδε*, (ϝ)*οἴκοθεν*), *οἰκεῖος*, *οἰκεῖν*, *οἴκημα*, *οἰκούϙιος*, *οἰκίζειν*, *οἰκισιήϙ*.

Curtius Grundz. p. 162 has voces ad radicem *ϝικ* (*ἵκω*, *ἱκάνω*) refert, quæ tamen in græca lingua paucissima exhibet digammi vestigia; cfr. p. 18. Eo certioribus testimoniis digamma vocum *οἶκος*, sim., est confirmatum. Leguntur enim ***ΠΕΔΑΓΟΙϙΟΙ***, ***ΠΕΔΑΓΟΙΚΟΙ*** in duabus inscriptionibus *Argivis* medii fere a. Chr. n. quinti sæculi (C. I. 14, 19), ***ϝοικι*** . . . in titulo prope *Argos* reperto (Tud. p. 29), ***ΓΟΙΚΕΟΝΤΟΣ ΓΟΙΚΕΤΑΙΣ***, ***ΓΟΙΚΙΑΤΑΝ***, ***ΗΑΠΙΓΟΙΚΙΑ*** (*ἀπιϝοικία*), ***ΤΟΠΙΓΟΙϙΟΙ*** (*τωπιϝοίκῳ*), ***ΕΠΙΓΟΙϙΟΝ*** (*ἐπίϝοικον*) bis, ***ΕΠΙΓΟΙϙΟΝ*** (*ἐπιϝοίκων*) quater, ***ΕΠΙΓΟΙϙΟΥΣ*** bis, ***ΕΠΙΓΟΙϙΟΙΣ***, ***ΜΕΤΑΓΟΙΚΕΟΙ*** in titulis *Locricis* (Tud. p. 45, Allen p. 43), ***ΓΟΙΚΙΑΝ*** in tessera Petiliensi C. I. 4 (Tud. p. 64), quam Kirchhoff p. 155 propter literarum figuras medio fere sexto sæculo a. Chr. n. scriptam credit; in *Boeoticis* ***ϝοικίας*** bis, ***ϝυκίας*** sæpius, ***ϝοικοσθένειος***, ***ϝυκέταν***, ***ϝεϝυκονομειόντων*** (Tud. pp. 82, 83, Meister Dial. p. 255, Beermann p. 53); in *Cypriis* ***ϝοίκῳ*** (Samml. 60: 6), ***Ὀνασίϝοικος***, ***Σιασιϝοίκων*** Samml. 27: 1); eadem in nummis Cypriis (Samml. 183; Tud. p. 115); in titulo incertæ originis ***ΓΟΙΚΕΟΝ*** (Tud. p. 127); pro ϝ scriptum est ***β*** in *Eleo* ***βοικίαϙ*** (Tud. p. 106). Evanuit autem digamma in inscriptionibus *Lesbiis* (Ahr. I: 32), in tabb. *Heracliensibus* (*οἰκία* cum vocibus derivatis quater decies; Tud. p. 24, Meist. Her. p. 406), in tit. *Euboeensi* ***ΟΙΚΟΡΙΟΝΟΣ*** (Tud. p. 11), in *Cretensibus* *οἰκειώ(τατος)*, *κατοικόντες*, *κατοικόντας* (Tud. pp 54,

56); in *Tanagræo οἰκίας* (Tud. p. 87; non prorsus recte Ahr. I: 170); in *Arcadico μέτοικοι* (Ahr. I: 232). — Digamma initiale stirpis produnt etiam vocabula Hesiodea *ἄ-οικος*, *φερέ-οικος*; ne apud Heracleotas quidem memoriam digammi plane esse obsoletam testis est *ἐπιοικοδομᾶς* Tab. I: 150. — Postquam evanuit digamma, Græci diphthongum initialem spiritu leni more suo instruxerunt; quod autem Curtius Grundz. p. 676 ab Atticis olim pronuntiatum esse *οἰκεῖν* commemorat, Cauer p. 279 hoc scribendi genus ad errores unius tabulæ referendum esse contendit. — De Homericis locis disputavit Knös pp. 134—137. Apud Hesiodum ante *οἰκῆϊά* producitur brevis syllaba per consonam exiens (in cæsura semiseptenaria) Op. 457. Ahrentem autem, cujus vestigia nimis temere sequitur Arens p. 8, sine causa apud Epicharmum *εἶκω οἴκαδις* Fr. 19: 13 vim digammatis indicare contendisse (II: 44), Knös recte vidit. — De Mimnermo vide Rennerum p. 17; apud Theocritum sunt *ποτὶ οἶκον* 6: 24, *ἀνὰ οἶκον* 24: 22. Apud Aristophanem hiatum ante *οἴκαδις*, Ach. 742, annotavit Linde [1] p. 43.

(ϝ)οῖκος, *οἴκοι*, *οἴκαδε*, *(ϝ)οἴκοθεν*. Digamma tollit hiatus post arsim dactylicam secundam P. 8: 51 *δὲ ϝοἴκοθεν*, N. 6: 25 *οὔ τινα ϝοῖκον* (Mommsen cur hoc loco digamma non scripserit, nescio), P. 7: 5 *τίνα ϝοῖκον*. Postremo autem loco in codicibus plurimis et apud scholiastam est *τίνα τ' οἶκον*, quod retinent et Mommsen et Bergk; *τίνα ϝοῖκον* est emendatio Boeckhii, quam acceperunt Schneidewin et Christ. Quam correctionem commendare videtur, quod unus codex *γ'*, alter *δ'* præbet; in nonnullis *τίνα* eliditur. Plus autem valet ad *τίνα ϝοῖκον* confirmandum, quod Pindarus in hujus modi interrogationibus numquam *τε* in altero membro posuit, sed aut *δέ* aut nihil. [2]) Mirum autem in modum librarios asyndeton, quod vocatur, e carminibus Pindari tollere studuisse et propterea sæpius particulas, quæ sunt *γε τε*, inculcasse, Boeckh quum multis aliis locis tum de metr. Pind. p. 311, not. crit. p. 379 animadvertit. — Multo

[1] *S. Linde:* Quæstiones etymologicæ et grammaticæ ad exempla dorica atticorum scriptorum relatæ. Lundæ 1879.

[2] Exempla repperi hæc: Ol. 2: 2 *τίνα θεόν, τίν' ἥρωα, τίνα δ' ἄνδρα κελαδήσομεν*; — P. 8: 95: *τί δέ τις; τί δ' οὔ τις;* I. 4: 35 *λέγε, τίνες Κύκνον, τίνες Ἕκτορα πέφνον καὶ στράταρχον Αἰθιόπων ἄφοβον Μέμνονα χαλκοάραν· τίς ἄρ' ἐσλὸν Τήλεφον τρῶσεν . . . .* (Schol. reddidit: *τίς δὲ τὸν ἀνδρεῖον Τήλεφον; τίς ἄρ'* est correctio Schmidii pro codicum *τίς γὰρ*, quod metro obstat); non plane ejusdem generis sunt P. 9: 33, 34 *τίς νιν ἀνθρώπων τέκεν; ποίας δ' ἀποσπασθεῖσα φύτλας ὀρέων κευθμῶνας ἔχει σκιοέντων*; P. 4: 70, 71 *τίς γὰρ ἀρχὰ δέξατο ναυτιλίας; τίς δὲ κίνδυνος κρατεροῖς ἀδάμαντος δῆσεν ἄλοις;*

major autem est numerus locorum, ubi digamma plane evanuisse apparet. Post vocem enim, quæ elisionem passa est, bis legitur *οἶκος*: P. 1: 72 *κατ' οἶκον*, N. 2: 23 *τὰ δ' οἴκοι;* brevis syllaba in consonam desinens non producitur undecies: Ol. 6: 48 *ἐν οἴκῳ*, 99 *οἴκοθεν οἴκαδ'*, Ol. 7: 4 *οἴκοθεν οἴκαδε*, P. 4: 43 *γὰρ οἴκοι*, 151 *τεὸν οἶκον*, P. 8: 65 *ὤπασας· οἴκοι*, N. 3: 63 *πάλιν οἴκαδ'*, N. 4: 76 *ἔχοντες οἴκαδε*, N. 5: 45 *ἐλθόντας οἴκοι*, I. 5: 65 *ὀρθώσαντες οἶκον*, Fr. VII: 2: 2 *ἁμαξοφόρητον οἶκον*. — Ab *οἴκοθεν* incipiunt Ol. 3: 44, 6: 99, N. 3: 31, 7: 52, I. 3: 30, ab *οἴκαδ'* P. 4: 106, ab *οἶκον* P. 4: 294. Longam syllabam per consonam exeuntem excipit hæc vox: Ol. 7: 4 *προπίνων οἴκοθεν*, Ol. 13: 2 *ἐπαινέων οἶκον*, N. 9: 14 *πατρῴων οἴκων*, 19 *ἐλελίξαις οἴκοθεν*, I. 3: 78 *χρυσέων οἴκων*, Fr. XI: 71 *ἐξ οἴκου*.

οἰκεῖος semper digamma aspernatur; brevis enim manet syllaba antecedens N. 1: 53 *γὰρ οἰκεῖον*, N. 11: 31 *ἰσχὺν οἰκείων;* Ol. 12: 19 *οἰκείαις* excipit præpositionem elisam *παρ'*.

οἰκεῖν plurimis locis digamma non fert; antecedit enim syllaba brevis Ol. 6: 34 *Ἄλφεὸν οἰκεῖν*, P. 9: 8 *θάλλοισαν οἰκεῖν*, N. 7: 9 *φιλόμολπον οἰκεῖ*, N. 7: 47 *θεμισκόπον οἰκεῖν*, 65 *ἄλλὸς οἰκέων*, I. 3: 37 *Ὀγχηστὸν οἰκέων;* corripitur diphthongus N. 10: 58 *ἔμμεναι οἰκεῖν;* elisam vocem insequitur *οἰκέοντας* P. 11: 64. — Digamma neque repudiant neque requirunt P. 10: 43 *οἰκέοισι* in initio versus, I. 1: 27 *Θεράπνας οἰκέων;* de lectione N. 10: 84 non constat. Figurarum, quæ sunt *ᾤκησαν* N. 3: 14 in initio versus et *ᾤκει* P. 3: 34, rationem non esse habendam ex ipsa grammatica ratione elucet; neque debebat Peter (p. 24) posterius exemplum propter literam paragogicam nihil probare contendere.

οἴκημα, quod semel tantum invenitur, Ol. 2: 9 *ἔσχον οἴκημα*, digamma non patitur.

οἰκούριος (apud Moschopulum *οἰκόριος*) longam excipit syllabam per consonam exeuntem P. 9: 19.

οἰκίζειν. Apud Pindarum aoristi figura *ᾤκισσεν* legitur, I. 7: 20, quæ forma in rationem non venit.

οἰκιστήρ. Duobus locis digamma non toleratur: Ol. 7: 31 *χθονὸς οἰκιστήρ*, P. 1: 31 *κλεινὸς οἰκιστήρ*. Eodem modo P. 4: 6 legi solet *χρῆσεν οἰκιστῆρα*, sed fortasse *χρῆσε ϝοικισιῆρα* restituendum est; *χρῆσε* est in codicibus Pal. C et Urb. A (apud Mommsenum P R).

Nihil argumenti inest vocabulo, quod est *νέοικος*, Ol. 5: 8.

In vocabulis junctis, quæ sunt *συνοικιστήρ* Ol. 6: 6, Fr. XI: 82: 1, *ἔποικος* Ol. 9: 69, *ἀποικία* Ol. 1: 24, I. 6: 12, *κατοικίζω* Fr. VIII: 2: 1 (et N. 10: 5 in codicibus) digamma evanuisse apparet.

ἴον, ἰοδέτας, ἰοπλόκαμος, (ϝ)ιόπλοκος, ἰοστέφανος, (ϝ)ιόλαος

Curt. Grundz. p. 391. Quod Benfey hanc stirpem cum *ἰός*, virus, cognatam vult, certe mensura harum vocum non comprobatur. *ἰός* enim (apud Pindarum Ol. 6: 47) longa utitur pænultima, *ἴον* et voces cum *ἴον* compositæ semper a brevi syllaba incipiunt. — Ex inscriptionibus nisi de nominibus propriis nihil elici potest. In vase Aeginetico est *ϝιόλαϝος* et in cratere Cæretano *ϝιόλα* (Tud. p. 34); in catalogo collegii Tænariorum legitur *Βιόλας*, *β* digammi vice fungente (Tud. p. 15). Et in *ϝιόλα* et in *ϝιόλαϝος* Tudeer stirpem vocis *ϝίον*, viola, agnovit; *Ἰόλη* Curtius ipse ad hanc stirpem refert. Aliter Savelsberg, qui de his vocibus pp. 26, 27 disputat et utrumque (et *ϝιόλαϝος* et *ϝιόλα*) thema vocis *ϝίς*, vis, cognatione attingere putat. Quod non credo. Animadvertendum est enim et in *ἴς* (I. 7: 53, apud Christium etiam P. 4: 253) et in nominibus propriis, quæ inde derivanda esse credere licet, *Ἰφιγένεια* P. 11: 22, *Ἰφικλείδας* P. 11: 59, *Ἰφικλῆς* P. 9: 88, I. 1: 26, *Ἰφιμέδεια* P. 4: 89, *Ἰφίων* Ol. 8: 81 vocalem *ι* longam esse (eodem modo apud Homerum), in *Ἰόλαος* semper brevem. Quam ob rem animus inclinat, ut ad sententiam, quam defendit Tudeer, accedam. — ***FIONIΣ*** autem in vase Cæretano repertum (Tud. p. 34), ***FIOI***, ***FION*** in vasis Corinthiis (Tud. p. 33, Savelsb. l. a.) quam ad stirpem pertineant, plane incertum est. Neque minus dubitari potest de ***FIO*** C. I. 7459 (Tud. p. 9). In titulo C. I. 7460 ***FIO*** conjecturæ soli quamvis probabili Kirchhoffii (p. 111) debetur. — In *Οἰάνθεια*, nomine urbis Locricæ, vocalem *ο* pro digammo scriptam esse opinatur Curtius (Grundz. p. 561; cfr. Tud. pp. 38, 46). — Digammi certum testimonium est glossa Hesychii *γία· ἄνθη* (Ahr. II: 54). — Apud Homerum paucissima harum vocum exempla digamma neque requirere neque aspernari affirmat Knös p. 124. *Ἰόλαος* non est apud Homerum; apud Hesiodum quinquies produci ante *Ἰόλαος* syllabam brevem per consonam exeuntem annotaverunt Knös l. l., Sachs p. 56. — Ex Theognide Renner p. 13 affert hiatum *δῶρα ἰοστεφάνων* (v. 250).

ἴον bis invenitur apud Pindarum: *ἴων* Ol. 6: 55, Fr. IV: 3: 16, e quibus, quum in initio versus legantur, nihil argumenti sumere licet.

Prorsus eadem est ratio *ἰοδέτας* vocis, a qua incipit Fr. IV: 3: 6, ubi Boeckh, Dissen, Schneidewin, Mommsen, Christ, assentiente Curtio Grundz. p. 628, *ἰοδετᾶν* scribunt, Schmid et Bergk, quos adjuvant codices, *ἰοδέτων*.

ἰοπλόκαμος nunc semel solum in carminibus Pindari legitur, P. 1: 1, ubi ante *ἰοπλοκάμων* corripitur particula *καί*.

(ϝ)ιόπλοκος. Digammo sanantur hiatus post arsim dactylicam priorem *παῖδα ϝιόπλοκον* Ol. 6: 30, *δὲ ϝιοπλόκοισι* I. 6: 23, neque sæpius legitur hæc vox. Sed neutro loco est *ἰόπλοκος* in codicibus. I. 6: 23 omnes codices de *δ' ἰοπλοκάμοισι* consentiunt; Ol. 6: 30 in omnibus vetustis et Thomanis est *παῖδ' ἰοπλόκαμον*, quod Byzantini in *παῖδ' ἰοβόστρυχον* correxerunt. Quos secutus Schmid et *παῖδ' ἰοβόστρυχον* et *δ'ἰοβοστρύχοισι* in contextum accepit, ubi postea usque ad nostram fere ætatem manserunt, omnibus editoribus (Boeckhio quoque) probata. Bergk primus, quo est ingenii acumine, lectiones, quæ nunc omnibus placent editoribus, invenit. De *ἰοβόστρυχος* satis sit Mommsenum, Suppl. p. 57, et Peterum p. 25 judices appellare. Quod autem Mommsen de geminata litera *κ (ἰοπλόκκαμος)* cogitat, non facile cuiquam persuadebit; *κκ* vocis *πέλεκκον* digammo (*κϝ*) deberi inter omnes constat (cfr. Curt. Grundz. p. 163, Meyer. Gr. Gr. § 286). — Vitium codicum antiquissimum est. Fortasse memoriæ scriptoris librarii obversata sunt epica illa *εὐπλόκαμος*, *καλλιπλόκαμος*, quæ in carminibus Homeri sæpissime inveniuntur, et apud Pindarum ipsum *ἰοπλόκαμος* P. 1: 1, quæ omnia eadem fere utuntur mensura (⏑–◡◡); et ita factum est, ut pro insuitatiore *ἰόπλοκος* inculcaretur vox per usitatissimam figuram exiens.

ἰοστέφανος legitur Fr. IV: 4: 1, ubi *καί* correptum excipitur.

(ϝ)ιόλαος. Unum exemplum digammo obstat: I. 6: 9 *ἀμφ' Ἰόλαον*, ubi antecedit vox ultima. Nihil demonstrant N. 3: 37 *Τελαμὼν Ἰόλᾳ*, I. 4: 28 *ἱπποσόας Ἰόλαος*. Productæ autem servantur in thesi dactylica ante hanc vocem diphthongi et longa vocalis: *αὐτῷ ϝιολάου* Ol. 9: 98, *καὶ ϝιόλαον* P. 9: 79, *διαφέρει ϝιόλαον* P. 11: 60, *ἦ ϝιολάου'* I. 1: 14. — Editores, quum digamma hujus vocis non pro certo statuere auderent, mirum in modum hæsitaverunt. Mommsen, quamquam consonam aliquam in fronte esse collocatam suspicatur (Suppl. p. 135), ubique *Ἰόλαος* scripsit; multo incautius rem egit Christ, qui digamma appinxit P. 9: 79, 11: 60, non accepit Ol. 9: 98, I. 1: 14. Ol. 9: 98 *Ἰολάου* fortasse inde vult declaratum, quod antecedit dativus per -*ῳ* exiens; cur autem I. 1: 14 digamma respuerit, non facile est ad intelligendum. Nobis quidem de digammo hujus nominis Boeotici (de digammo apud Boeotos perdiu vigente vide Meister. Dial. p. 253, Tud. p. 101) non relinquitur dubium, quum ad testi-

monium Terentiani Mauri et ad rationes metricas et apud Hesiodum et apud Pindarum observatas accedat fundamentum quasi solidum inscriptionum.

(ϝ)*ἴσος, ἰσοδαίμων, ἰσόδενδρος, ἰσώνυμος, ἄϊσος.*

Curt. Grundz. p. 381. Errat Ahrens I: 66 *ἴσος* ex *ἴδιος* natum suspicans; consonam, quam post *σ* olim collocatam esse et ipsum *σ* inter vocales servatum (v. Meyer. Gr. Gr. § 223) et Aeolicum *ἴσσος* geminato *σ* scriptum testatur, non palatalem sed labialem fuisse spirantem elucet et ex linguarum cognatarum comparatione et ex glossa Hesychii *γισγόν· ἴσον*, quam in dubitationem vocare non debebat Schmidt. Cfr. Curt. Grundz. p. 653, Meyer. Gr. Gr. § 269. Pro duplici sigma, quod etiam apud Aeoles labare coepit (Ahr. I: 66), Pindarus ipse simplex scribit et sicut Attici, excepto *ἰσοδαίμονα* N. 4: 84, brevi pænultima semper utitur (cfr. Meyer. Gr. Gr. § 292 [1]). — Spirans labialis, a qua has voces olim incepisse inter omnes constat, exarata est in nonnullis inscriptionibus. In titulis *Boeoticis* novies legitur *ϝισοτέλιαν*, semel *ϝισοκλέες*, *ϝισοκλεῖς*, *ϝισοκλία* (Tud. p. 82, Meist. Dial. p. 255, Beerm. p. 53); in tabula aenea decretum *Chaladriorum* continente sunt ***ΓΙΣΟΔΑΜΙΟΡΓΟΝ*** et ***ΓΙΣΟΠΡΟΧΕΝΟΝ*** (Tud. p. 105). Omissum autem est in *ἰσοπολιτείᾳ* et *ἰσοπολιτείαν*, quæ quater leguntur in tribus inscriptionibus Cretensibus, sæculo a. Chr. n. tertio confectis (Tud. p. 56), et in titulo Lampsaceno (Samml. 318: 12). Maximam movent nobis admirationem ***ΙΣΑΟΣ*** et ***ΙΣΟΚ(Λ)Η . . .*** in titulo Theræo (Tud. p. 49), quem sæculo a. Chr. n. septimo exaratum esse suspicatur Kirchhoff p. 53. — Postquam periit digamma, in plerisque dialectis spiritus lenis est substitutus; asper tamen semel legitur in majore tabula Heracl. (in eadem tabula bis reperitur *ἴσον*), Tud. pp. 23, 24. Alia inscriptionum exempla leni spiritu instructa affert Meister Her. p. 397; cfr. Curt. Grundz. p. 676, Allen. p. 50. — Ad digamma confirmandum accedunt et glossa Hesychiana *βίωϙ· ἴσως. σχεδόν. Λάκωνες* (Ahr. II: 73, 77) et figura Homerica *ἕΐση* pro *ἑ-ϝίση* et junctum vocabulum *ἄϊσος* pro *ἀ-ϝισος*, quod semel apud Pindarum legitur, I. 6: 43. — Apud Homerum certa esse vestigia digammi in voce *ἴσος* observavit Knös p. 129; de Hesiodo vide Sachs.

---

[1] Apud Homerum restituendum esse *ἴσσος* censet Meyer. Cfr. tamen *G. Oehler:* De simplicibus consonis continuis in græca lingua sine vocalis productione geminatarum loco positis (Lipsiæ 1880) p. 46.

p. 56. Apud Sappho hanc vocem a vocali incepisse Fr. 2: 1, 91: 5 annotavit Ahrens I: 33.

(ϝ)ἴσος. Digamma requirunt hiatus post solutam thesim trochaicam N. 7: 5 *ἐπὶ ϝίσα*, I. 5: 32 *οὔρεϊ ϝίσον*. Ante *ἴσος* longæ servantur diphthongi in thesi trochaica N. 10: 86 *ἀποδάσσασθαι ϝίσον*, N. 11: 41 *πλούτῳ ϝίσον*. Ab *ἴσαις* incipiunt (apud Mommsenum) Ol. 2: 61, 62, ab *ἴσον* Fr. XI: 143: 1. Longam syllabam per consonam exeuntem excipit hæc vox Ol. 8: 53 *ἀνθρώποις ἴσον*, N. 3: 45 *πάλλων, ἴσα*. Neque vero digamma accipiunt Ol. 4: 25 *ἦτορ ἴσον*, Fr. XI: 136: 3 *πάντες ἴσᾳ* (perperam Peter p. 25).

ἰσοδαίμων uno loco apud Pindarum legitur, N. 4: 84 *βασιλεῦσιν ἰσοδαίμονα;* quam facile autem hoc loco digamma restitui possit, nemo est quin videat.

ἰσόδενδρος. Incipit ab hac voce Fragm. XI: 43.

ἰσώνυμος. In initio Ol. 9: 64 legitur *ἰσώνυμον*.

Deinde ad eas voces venimus, quarum stirpes a literis, quæ sunt *σϝ*, olim incepisse comparatis linguis cognatis satis constat.

R. *(σϝ)αδ, (ϝ)ανδάνω, ἄσμενος, ἕδνον, ἁδύς, ἁδύγλωσσος, ἁδυεπής, ἁδύλογος, ἁδυμελής, ἁδύπνοος.*

De origine harum vocum vide Curt. Grundz. p. 228. — Digammi testimonia satis multa sunt; vide Knös. pp. 202—206. Ahr. I: 31, II: 42, 44, Arentem pp. 8, 9, Renner. p. 15, 19; cfr. glossas Hesychianas *βάδομαι· ἀγαπῶ, γανδάνειν· ἀρέσκειν, γάδονται· εὐφραίνονται*, al. (Ahr. II. 45, 53). Neque minus certa digammi indicia ex inscriptionibus eruere licet: in titulis *Boeoticis* sunt *ϝάδωνος, ϝασίας, ϝασάνδριος, ϝαδιονλόγω* (Beerm. p. 52, Tud. pp. 75, 76), in *Thessalico ϝασίδαμος* (Tud. p. 74, Samml. 371), in *Locrensi ϝεϝαδηϙόια* (Allen p. 43, Tud. p. 44).

In verbo, quod est *ἀνδάνω*, non desunt digammi indicia Pindarica. Longa vocalis in thesi producitur I. 3: 33 *Ἄρει ϝάδον*, in arsi P. 1: 29 *εἴη ϝανδάνειν;* hiatum post brevem arsim prohibet digamma P. 6: 51 *μάλα ϝαδόντι*, I. 7: 18 *ιε ϝάδον*. — Post longam syllabam legimus Ol. 3: 1 *φιλοξείνοις ἀδεῖν*, N. 6: 36 *Καλλίας ἀδών*, N. 8: 38 *ἀστοῖς ἀδών*. — Digammo obstant duo exempla: Ol. 7: 18 *Δαμάγητον ἀδόντα*, P. 2: 96 *οἶμος. ἀδόντα*. — In codicibus

fluctuat spiritus Ol. 3: 1, N. 6: 36, 8: 38, I. 3: 33, P. 6: 51, 2: 96; sed P. 1: 29 in omnibus est *ἀνδάνειν*, ut Ol. 7: 18 in omnibus vetustis lenis scribitur; I. 7: 18 autem in codd. Med. est *ἄδον*, in Triclinianis *ἔαδον*.

Vox, quæ est *ἄσμενος* (de spiritu cfr. Curt. Grundz. p. 674), apud Pindarum semel legitur, Ol. 13: 71 *μάντιν ἄσμενος*, ubi digamma est omissum.

Vocem, quæ est *ἔθνον*, bis exhibet Pindarus: Ol. 9: 10 *κάλλιστον ἔθνον* digamma respuit; P. 3: 94 longa syllaba per consonam exiens præmissa est. Utroque loco in plurimis codicibus legitur spiritus lenis.

Septies invenitur *ἁδύς*, sed nulla sunt digammi vestigia in hac voce. Quinquies enim prorsus abjecta est spirans initialis: P. 4: 201 *ἱερασκόπος ἁδείας*, P. 9: 41 *ἄμφαδὸν ἁδείας*, N. 10: 33 *τεθμόν· ἁδεῖαι*, I. 2: 5 *ἀνάστειραν ἁδίσταν*, I. 5: 50 *αἰετόν· ἁδεῖα;* nihil testantur P. I: 8 *γλεφάρων ἁδύ*, P. 1: 90 *ἀκοὰν ἁδεῖαν*. — In plurimis codicibus a spiritu aspero incipit hæc vox.

ἁδύγλωσσος est in initio versus Ol. 13: 96.

ἁδυεπής semper digammo obstat; antecedit enim *τὶν δ'* Ol. 10: 93, *σέθεν* N. 1: 4, *ἰὸν* N. 7: 21.

Neque aliter *ἁδύλογος* Ol. 6: 96, ubi antecedit *κράτος*.

ἁδυμελής. In initio versus sunt *ἁδυμελεῖ* N. 2: 25, *ἁδυμελῆ* Ol. 11: 14; brevem syllabam excipiunt Ol. 7: 11 *ζωθάλμιος ἁδυμελεῖ*, P. 8: 70 *μὲν ἁδυμελεῖ*. Eodem modo se habet I. 6: 20 *ἔπειτεν ἁδυμελεῖ*, ubi cave propter v. 8 *πυκναῖς* credas syllabam, quæ est *-τεν*, in arsi positione productam esse (*ἔπειτεν ϝαδυμελεῖ*). Ceteris enim in strophis et antistrophis ter brevis reperitur (v. 3 *ὄρα*, 37 *-θος*, 42 *-σκο-*).

ἁδύπνοος. In initio versus est *ἁδυπνόῳ* I. 2: 25. Digamma non accipit Ol. 13: 21 *Μοῖσ' ἁδύπνοος*.

---

*St. pron. pers. tert. *σϝε. (ϝ)οῖ, (ϝ)ίν, (ϝ)έ, (ϝ)ός, ἑός, (ϝ)ίδιος, ἕκασιος, ἑκάτερος, ἑκατέρωθι, ἑκάς, ἑκάεργος, ἑκατόβολος, ἕκαθεν, (εἰ?).*

In his vocibus examinandis ita agemus, ut primum de (ϝ)οῖ (ϝ)έ (ϝ)ός ἑός verba faciamus, deinde (ϝ)ίδιος ἕκασιος sim. in judicium vocemus, denique de voce, quæ est (ϝ)ίν, singillatim disputemus. — De pronominum autem figuris hæc fere est sententia virorum doctorum, quam prolatam vidi a G. Curtio Gr. Gr. § 206, Erl. p. 77, Grundz. p. 396, a Leskienio pp. 36—39, al.

Stirps est *sva*, in græca lingua σϝε, unde formæ hoc modo derivantur: gen. *σϝε-ϑεν ϝέ-ϑεν ἕ-ϑεν, *σϝε-ιο ϝε-ῖο ε-ἷο (ϝέ-ο ϝεῦ); dat. *σϝο-ι ϝοῖ οἱ (quum *a* antiquissimæ stirpis *sva* in *o* abierit); acc. *σϝε ϝέ ἕ (cfr. Meyer. Gr. Gr. § 412 not.); pron. poss. *σϝος ϝός ὅς. Restant dat. ἑοῖ, acc. ἑέ, poss. ἑός, quæ ex *σεϝοι *σεϝε *σεϝος deducenda esse copiose ostenderunt Rumpf, Schleicher, Curtius Grundz. p. 570, Leskien, G. Meyer Gr. Gr. §§ 412, 413, 425. — Significationem hujus stirpis pronominalis antiquissimis temporibus universe reflexivam fuisse neque a principio ad tertiam solum sed ad primam quoque et secundam personas spectasse, Curtius Grundz. p. 396, Erl. p. 77 contendit; aliter Knös p. 206. — Quod autem Curtius Gr. Gr. §. 206, Grundz. pp. 396, 435, 588, consentientibus Savelsbergio II: 27, Knösio p. 202, digamma stirpis σϝε in duali et plurali numeris propter antecedens σ quodam modo in φ obduratum esse credit, ita ut σφε proxima affinitate cum σϝε cohæreret, G. Meyer Gr. Gr. § 238 not., § 418) et alii omnino negant.

Hoc modo via satis munita ad digamma harum vocum examinandum pergimus.

Si primum inscriptiones inspicimus, sane mirandum est, ex iis pauca tantum testimonia digammi pronominis erui posse. Re vera ***FOI*** in titulo *Arcadico*, quem Kirchhoff p. 149 E. Curtium secutus ad medium quintum sæculum refert (Tud. p. 111), et ϝοι in duobus titulis *Cypriis* (Tud. p. 115, Samml. 59: 3, 60: 29) sola præbent digammi signa in lapidibus exarata. — Ceteris locis digamma conjecturis virorum doctorum erutum est. Ut in epigrammate Balbillæ C. I. 4725 (Samml. 320) pro γοι v. 7 et γε v. 15, quæ in lapide exstant, vulgo ϝοι et ϝε legunt (Tud. p. 65); Collitz autem γοι et γε retinet; quod autem Tudeer p. 66 contendit in eodem lapide esse οἷσι, ita non legitur apud Collitzium. Etiam in alio epigrammate (Samml. 322: 7) Collitz τοι defendit; aliter Tud. p. 65; ϝοι Boeckh scripsit pro ***NOI*** in tit. *Thebano* C. I. 1565 (Tud. p. 82). In eo tit. *Locrensi*, ubi exstat mirum illud ϝόιι, Kirchhoff ϝοι scripsit pro tradito ***OI*** (Tud. p. 45, Allen p. 42); de mendis hujus tituli vide Kirchhoff. p. 136, Curt. Grundz. p. 398. Deinde Christ in vetustissimo titulo *Thessalico*, assentiente v. d. Pfordteno [1] p. 6, legi jubet Διοκλέαι ϝὸς ἀδελφεός; neque aliter Meister Dial. p. 291 not.; Fick autem (Samml. 324) legit Διοκλέα, τεῖος ἀδελφεός. Illud ϝε, quod est in utraque tab. *Heracl.* (Tud. p. 23), huc non pertinet; neque ϝε in titulo *Argivo* (Tud. p. 28) utrum ad stirpem

[1] *H. v. d. Pfordten*: De dialecto Thessalica. Monachii 1879.

pronominalem pertineat necne elucet. Ad hanc stirpem autem referendum esse ϝέτας in tab. aenea *Eleorum* et *Ervaeorum* foedus continente credibile est (Tud. p. 105); cfr. Curt. Grundz. p. 396, Knös. p. 221.

Apud poetas plurima digammi pronominis indicia reperimus. De innumeris fere exemplis Homericis vide Knös. pp. 207—217; apud Hesiodum Op. 524 solum digamma respuit (Sachs p. 58). Apud Epicharmum conjectura est *τέ ϝοι* fr. 48 (Ahr. II: 44, Arens p. 9). De Alcmane vide Ahr. II: 41, de poetis Lesbiis Ahr. I: 31. Apud Theocritum *ἔθεν* digamma requirit 25: 203. Exemplum apud Mimnermum, Xenophanem, Theognidem, Solonem, Tyrtæum, Archilochum, Simonidem collegit Renner pp. 17, 18.

Nunc demum ad carmina Pindari venimus. Hiatum prohibet digamma in fronte vocis *οἱ* positum:

a) *post arsim trochaicam:* *δέ ϝοι* Ol. 1: 23, P. 4: 264, Ol. 10: 87 (si cum Bergkio et Christio conjecturam Boeckhii accipimus), *τέ ϝοι* Ol. 9: 15, 13: 28, 36, P. 5: 109, N. 1: 14, 3: 57, I. 5: 12, *γέ ϝοι* Ol. 13: 63 (ubi Mommsen male *ϝεοῖ* conjecit), *τί ϝοι* P. 3: 63, *ῥά ϝοι* P. 4: 189, *ἀλλά ϝοι* I. 7: 57, *ἀμφί ϝοι* P. 9: 120, *τοῦτό ϝοι* N. 7: 40, *ἔνθα ϝοι* P. 9: 82, *κνώσσοντί ϝοι* Ol. 13: 68, *χειρί ϝοι* P. 4: 37, *αἱμά ϝοι* P. 4: 48, *μναστῆρά ϝοι* N. 1: 16, *φύτευέ ϝοι* N. 4: 59 (ubi in uno Tricliniano male scriptum est *φύτευέν οἱ*), *γλυκεῖά ϝοι* Fr. XI: 130: 1; post thesim solutam sunt N. 3: 39 *ἔπειό ϝοι* et Triclinianа lectio Ol. 2: 42 *ἔπεφνέ ϝοι*, ubi tamen aliter legendum esse censeo; cur Mommsen digamma omiserit, non intelligo).

b) *post arsim dactylicam priorem:* *τέ ϝοι* Ol. 7: 93, 13: 73, N. 5: 34, *δέ ϝοι* P. 4: 197, 287, 9: 109, N. 1: 58, *ἔνθα ϝοι* Ol. 6: 65.

c) *post arsim dactylicam secundam:* *γέ ϝοι* Ol. 6: 20, *ἅ τε ϝοι* Ol. 7: 96, *δέ ϝοι* Ol. 9: 67, P. 4: 73, N. 1: 61, *ὅτι ϝοι* Ol. 14: 22, *ἐπί ϝοι* P. 1: 7, 4: 23, *οὐκέτι ϝοι* P. 4: 243, *ψεύδεσί ϝοι* N. 7: 22, *χέρα ϝοι* P. 9: 36, *ἵνα ϝοι* P. 9: 56, *ἄρα ϝοι* I. 5: 49, *ἦλυθέ ϝοι* N. 10: 79 (in codd. B B est *ἦλυθέν οἱ*), *τέκε ϝοι* I. 3: 82, *λάμβανέ ϝοι* I. 4: 56; post anacrusim duarum brevium *τέκε ϝοῖ* P. 9: 84.

Deinde syllabæ per diphthongum exeuntes productæ servantur:

a) *in thesi:* Ol. 1: 65 *ἀθάναιοί ϝοι*, 13: 87 *διασιωπάσομαί ϝοι*, P. 2: 42 *ἄνευ ϝοι*, N. 6: 23 *ἐπεί ϝοι*.

b) *in arsi:* N. 10: 29 *σιγᾷ ϝοι;* N. 10: 31 *ἀείδω ϝοῖ* secundum conjecturam Kayseri scribit Christ; Mommsen, Bergk, Mezger lectionem codicum *θειῷ* retinent. Post longam anacrusim legitur *ϝοι* P. 2: 83.

Num ante ϝοῖ producantur breves syllabæ in consonas desinentes, obscurius videtur, quum utroque loco, ubi productionem suspicari licet, fluctuent codices. Neque tamen dubito vim digammatis agnoscere Ol. 2: 42, ubi *πέφνεν οἱ* commendant duo optimi et vetustissimi codices, unus bonus, duo Thomani, duo Moschopulei; omnes fere ceteri vetusti *ν* paragogicum omiserunt, qua in re quantæ negligentiæ indulserint veteres, vide Append. II; Moschopulus correxit *πέφνεν ἑοῖ*, Triclinius *ἔπεφνέ οἱ*. De iambo cfr. v. 62. Alter locus est N. 10: 15, ubi equidem lego *Τηλεβόας ἔναρεν, ϝοῖ δ' ὄψιν ἐειδόμενος*. Certe desideratur pronomen, quod ad *ἐειδόμενος* referatur, neque deest in codicibus. — Utroque loco producitur syllaba in thesi. — I. 7: 33 autem Bergk in secunda editione minus prospere conjecit *φέρτερόν ϝοι*, quum spondeus pro trochæo admitti non possit.

Digamma etiamsi non desiderant at tamen patiuntur Ol. 1: 57 *ἄν οἱ* (Christ scribit *ϝοι*) et fortasse N. 4: 68 *ἐς γενεάν οἱ*, quæ est correctio Boeckhii in not. crit.

Neque ante *οἱ* eliditur vox præcedens, neque corripitur longa vocalis, neque brevis syllaba in consonam desinens non producitur; quamobrem improbanda est lectio, quam Boeckh accepit I. 7: 33 *φέρτερον γόνον οἱ ἄναχτα*.

Accusativus ejusdem pronominis bis apud Pindarum legitur, N. 7: 25 in initio versus, ubi codicum scriptura *ἑάν* in *ἕ τάν* mutata est (de spiritu non consentiunt libri), et Ol. 9: 14 post longam syllabam, ubi Christ scripsit *αἰνήσαις ϝέ*. Quod P. 12: 12 Mommsen legit *εἰναλίᾳ ϝὲ Σερίφῳ λαοῖσί τε μοῖραν ἄγων*, in medio relinquo. — Eodem modo quod Theodorus Bergk I. 5: 74 e locis allatis colligit fuisse qui *ἑ* (*ϝε*) legerent post *πίσω*, quamquam *ἕ* nonnumquam in plurali significatione a poetis Græcis adhibitum esse satis constat (cfr. gramm. Kruegeri II: 25: 1: 4), hic missum facio, quum codices Pindari omnes *σφε* exhibeant. — Neque magis placet *ϝε* N. 2: 11, quod Bergk olim scriptum esse conjicit.

Possessivi pronominis duæ exstant formæ apud Pindarum, *ὅς* et *ἑός*. — *ὅς* reperitur sexies (perperam Peter p. 51 quater). Digammo duo sanantur hiatus: P. 6: 36 *παῖδα ϝόν*, I. 3: 54 *περὶ ϝῷ*, uterque post brevem arsim. In fronte versus posita sunt *ὅν* Ol. 6: 59, *ἄν* P. 4: 122, *ᾧ* Fr. I: 1: 2. Semel autem digammo prorsus adversatur hoc pronomen, Ol. 5: 8 *καὶ ὅν*, ubi diphthongus corripitur. Quod utrum ad tempus carminis compositi referendum sit necne, dijudicare non ausim. Satis sit commemorare et victoriam Psaumidis omnes fere, qui in carminibus Pindari interpretandis navarunt operam, ad annum

a. Chr. n. 452 referre, et multis (Leutschio, Bergkio, Leop. Schmidtio, Westphalio, Mezgero) hoc carmen Pindaro prorsus abjudicandum et imitatori tribuendum visum esse. — I. 4: 38 Bergk, ordine vocum mutato, olim conjecit *ϝῷ δορὶ τρῶσε;* aliter autem in editione quarta.

De *ἑός* ex **σεϝος* orto vide supra. Si hæc formarum derivatio pro vera habetur, luce clarius est, spiranti labiali in initio hujus voculæ nullum locum esse; ne dentalis quidem certa reperiri vestigia, ex Homericis elucet exemplis, quæ in examen vocaverunt Leskien p. 39, Knös p. 197. Eadem est ratio in carminibus Pindari. Quater *ἑός* primam obtinet versus sedem: *ἑόν* P. 2: 41, 4: 269, *ἑάν* I. 7: 29, *ἑᾷ* N. 7: 85 (quæ tamen est conjectura Hermanni; codd. *ἐμᾷ*); semel post longam syllabam in consonam desinentem legitur, Ol. 7: 5 *τιμάσαις ἑόν*. Ceteris locis spirantem prorsus respuit Pindarus: ante hanc voculam Ol. 6: 60 elisio fit; *ν ἐφελκυστικόν*, quod dicitur, bis legitur, N. 1: 45 *χερσὶν ἑαῖς*, I. 4: 38 *τρῶσεν ἑῷ;* brevis syllaba in consonam desinens non producitur Ol. 7: 70 *πεμφθεῖσαν ἑᾷ*, Ol. 10: 38 *ἵζοισαν ἑάν*, P. 2: 91 *ὀδυναρὸν ἑᾷ*, P. 4: 159 *γὰρ ἑάν*, P. 4: 187 *κάλλιστον ἑᾶς*, P. 9: 38 *μῆτιν ἑάν*, P. 9: 105 *δόξαν ἑῶν* (codd. vett. et Tricliniani *τεῶν*), N. 6: 15 *Πραξιδάμαντος ἑόν*, I. 5: 69 *κόσμον ἑῷ*. — Quæ quum ita sint, non possumus non mirari, quod Christ N. 3: 15 scripsit *Ἀριστοκλείδας ϝεάν;* codicum autem lectio est *τεάν*, quam jure suo retinet Mommsen, assentiente Mezgero. — Ceterum neque Mommsenum neque Bergkium *ἑοῖ* et *ἑός* ex **σεϝοι* et **σεϝος* orta esse putare, intelligere possumus ex Ol. 13:, 63, ubi Mommsen conjecit *ϝεοῖ* pro *γέ ϝοι*, et ex N. 3: 15, ubi Bergk principalem formam statuit *σϝεος* sive *σφεος*. Et animadvertendum esse videtur, in libris manu scriptis hanc vocem sæpe spiritu fluctuare, quod ad digamma retulit Mommsen Suppl. ad Ol. 6: 62. Cui rei tamen cave nimium tribuas.

Transimus nunc ad ceteras voces, quas hanc stirpem cognatione attingere supra indicavimus.

Vocem, quæ est *ἴδιος*, huc referendum esse hodie credo neminem esse qui neget, quamquam Ahrens I: 66 olim ad cognationem adjectivi, quod est *ἴσος*, et ad rad. *ϝιδ* retulit. Cfr. Curt. Grundz. pp. 396, 617, 702, de spiritu pp. 674, 676. — De *ἕκασιος* sim. conferendus est ante omnes Allen pp. 44—47, qui quum in *ἕκασιος* tum in *ἑκάς* adverbio stirpes pronominales *sva* et *ka* contineri maxima veri similitudine contendit. *-τερος* et *-σιος* terminationes sunt comparativi et superlativi. Cfr. Curt. Grundz. p. 460, Knös. p. 66. — Vocem, quæ est *εἰ*, Curtius Grundz. p. 396 ad stirpem pronominalem *sva* referri debere verisimilli-

mum dicit esse. Weber [1] p. 102 etsi dubitanter antiquissimam hujus particulæ formam apud Græcos agnovit in Hesychiana glossa *βαῖχαν· . . . . . Κρῆτες*, quam a principio *βαΐχαν· ἐάν. Κρῆτες* fuisse conjectat (alii aliter glossam explere conantur; vide ann. Schmidtii); *ϝ* igitur omissum et digamma more Cretensium litera *β* significatum esse statuit.

Digammi vocis *ἴδιος* testimonia in titulis non desunt. Annotanda sunt *ϝιδίᾳ ϝιδίαν* in tab. *Heracl.* (Meister p. 403, Tud. p. 23), *ϝιδιοξένω* in tabula *Oeantheensi* (Tud. p. 45, Allen p. 43), *ϝιδίαν ϝίδιον* in titulis *Orchomeniis* et *Chæronensi* (Beerm. p. 53, Tud. pp. 80, 81); sed *ἰδίαν* in *Elco* titulo (Tud. p. 107) et *ἰδίᾳ ἰδίαν ἰδίοις* in *Cretensibus* (Tud. p. 55).

Digammi vocis *ἕκαστος* unum testimonium inter inscriptiones est titulus *Locrensis*, Oeantheæ repertus, ubi quater exarata est hæc litera (Tud. p. 44, Allen p. 44). Spiritu aspero instructum est *ἕκαστος* in tab. *Heracl.* (Meister p. 405, Tud. p. 23), in titulis *Cretensibus* (Tud. p. 55), in *Orchomeniis* (Tud. p. 87, Beerm. p. 53). — De glossis Hesychianis *βεκάς· μακράν*, *βεικάς· μακράν*, *βεκῶς· μακρόθεν* vide Ahr. II: 46.

ἴδιος, de cujus consona initiali ex Homeri carminibus nihil concludi posse ostendit Knös p. 222, apud Theognidem 440 est in hiatu; cfr. Renner. pp 13, 14, 18.

ἕκαστος apud Homerum multa digammi testimonia prodit (cfr. Knös. pp. 67, 68, Allen. pp. 44, 45; Leskienium p. 16 et Ahrentem I: 170 omitto, quippe qui ante titulum illum Locrensem (a. 1869) in lucem editum scripserint); neque desunt apud Hesiodum: Th. 73, 151, 370, 393, 672, Scut. 283. — De *ἑκάς* sim. vide Knös. pp. 63—66.

Knös p. 207 particulæ *εἰ* exempla Homerica non collegit ille quidem, sed affirmat in carminibus Homeri nulla esse digammi vestigia conspicua.

Ex his vocibus *ἴδιος* solum apud Pindarum certum digammi indicium prodit; in hiatu enim est Ol. 13: 47 *δὲ ϝίδιος* post arsim trochaicam; in fronte versus est *ἴδια* N. 6: 32; post longam syllabam in consonam desinentem N. 3: 24 *ὑπερόχους, ἰδίᾳ*, ubi tamen scholiasta aliam lectionem commemorat.

ἕκαστος. Nihil concludere licet ex P. 9: 98 *ὡς ἕκασται*, *ἕκαστος* Fr. XI: 49: 2, *ἕκαστον* Fr. VII: 5: 2 in initio versus. Obstant prorsus digammo post voces elisas P. 10: 61 *τῶν δ' ἕκαστος*, N. 7: 54 *φυᾷ δ' ἕκαστος*, I. 1: 23 *ἐφ' ἑκάστῳ*, Ol. 6: 74, 9: 104 *χρῆμ' ἕκαστον*, P. 8: 69 *ἀμφ' ἕκαστον* et post breves sylla-

[1] *H. Weber:* Die Dorische Partikel *κα*. Halle 1864.

bas per consonam exeuntes N. 4: 92 *τις ἕκαστος*, Ol. 13: 45 *ἐν ἑκάστῳ*, N. 3: 73 *μέρος· ἕκαστον*, N. 8: 4 *ἔργον ἕκαστον*. Quæ quum ita sint, improbandus est Mommsen, qui Ol. 13: 45 conjecit *δὲ ϝεκάστῳ*. Præpositio omissa est in codicibus C. N, et Triclinius versum male scripsit ille quidem, sed opponi possunt omnes ceteri, qui vulgarem lectionem tuentur. Neque dubitationem movere debet scholiasta, qui verba poetæ hoc modo interpretatur: *ἑκάστῳ γὰρ πράγματι μέτρον ἀκολουθεῖ καὶ συμμετρία*. De usu præpositionis *ἐν* vide Bossler. p. 24; apte Mezger comparanda docet Ol. 1: 90, 91 *ἐν αἱμακουρίαις ἀγλααῖσι μέμικται*, P. 4: 251 *ἔν τ' Ὠκεανοῦ πελάγεσσι μίγεν*, I. 2: 29 *παῖδες ἐν τιμαῖς ἔμιχθεν;* addi potest Ol. 10: 82, 83 *ἐν ἅπαντι κράτει ἄϊθωνα κεραυνὸν ἀραρότα*.

ἑκάτερος semel solum legitur apud Pindarum, I. 7: 28 *θέλων ἑκάτερος*.

ἑκατέρωθι in initio versus est Ol. 2: 69.

ἑκάς bis legitur: P. 8: 21 *χαρίτων ἑκάς* post longam syllabam, post brevem P. 2: 54 *γὰρ ἑκάς*.

ἑκάεργος est P. 9: 28 post longam syllabam in consonam desinentem, *ἐγχέων ἑκάεργος*, ubi propter paraphrasim scholiastæ *ἄνευ δόρατος* non debebat dubitare Mommsen, an *ἄτερ ἐγχέος ϝεκάεργος* legisset ille.

ἑκαταβόλος. Ol. 9: 5 antecedit longa syllaba, *νῦν ἑκαταβόλων*, P. 8: 61 vox elisione deminuta, *τὺ δ' ἑκαταβόλε*.

ἕκαθεν in initio versus est Ol. 10: 7.

In particula *εἰ* nulla spirantis vestigia comparent. Legitur enim *εἰ* in initio versus quadragies bis (Ol. 1: 3, 54, 3: 42, 6: 77, 8: 4, 54, 9: 26, 11: 4, 12: 16, 14: 7, P. 1: 46, 87, 3: 2, 63, 73, 80, 86, 110, 4: 164, 266, 274, 8: 73, 9: 50, 12: 28, N. 3: 19, 5: 19, 50, 7: 11, 15, 69, 74, 98, 9: 28, 46, 11: 13, I. 1: 36, 2: 34, 3: 1, 59, 4: 11, 13, 5: 10) et *εἴπερ* bis (P. 1: 90, N. 2: 7), post longam syllabam in consonam desinentem quinquies (Ol. 6: 90, 7: 1, P. 4: 43, 263, 9: 93); digamma prorsus aspernantur P. 2: 58, N. 4: 79, Fr. XI: 69: 4, ubi præcedens diphthongus corripitur, et mirum illud *ἄτᾳ, εἰ* P. 11: 55; deinde vocem elisam excipit novies (Ol. 1: 18, 75, 5: 23, P. 4: 145, N. 7: 86, 10: 83, I. 1: 59, 6: 43, Fr. VII: 4: 8) et brevem syllabam per consonam exeuntem vicies (Ol. 1: 64, 108, 2: 56, 6: 4, 11, 13: 101, 14: 7, 7, P. 1: 81, 3: 103, 8: 14, 9: 93, 11: 41, N. 4: 13, 7: 24, 75, 89, 10: 85, I. 4: 20, 5: 42).

Si hæc, quæ supra exposui, comprehendimus, apparet in usu digammi multum interesse inter ipsum pronomen (ad quod proxime accedit *ἴδιος* et in titulis

et apud Pindarum) et voces, quas a stirpe pronominali incepisse putant viri docti. Inter undeseptuaginta exempla vocum *οἷ, ἑ, ὅς, ἴδιος* digamma requirunt sexaginta, certe admittunt octo, aspernatur unum (*ὅς*). Rursus ex centum tribus locis, ubi occurrunt *ἕκαστος, ἑκάτερος, ἑκατέρωθι, ἑκάς, ἑκάεργος, ἑκαταβόλος, ἕκαθεν, εἰ*, nullus digamma desiderat, quadraginta quinque autem prorsus respuunt. Videtur igitur in nonnullis vocibus ad hanc stirpem pertinentibus digamma magis quam in ulla alia stirpe viguisse, in aliis autem spirantis memoria temporibus Pindari prorsus evanuisse. Tenendum tamen est, particula *εἰ*, quam ne apud Homerum quidem digamma prodere vidimus, utrum ad stirpem *σϝε* pertineat necne, nondum satis liquere [1].

Jam igitur restat, ut de voce, quæ est *(ϝ)ἰν*, disputemus.

P. 4: 36 Hermann, quem secuti sunt hac in re Bergk (in tertia ed.) et E. Buchholz (Anthologie aus den Lyrikern der Griechen), legit *οὐδ' ἀπίθησέ ἰν* (in dissertatione autem de dialecto Pindari p. 14 et in notis editioni Heynianæ additis *ἰν*, quod acceperunt Boeckh, Dissen; Christ *ϝιν*); idem scribit N. 1: 66 *φᾶσέν ἰν (ἰν)*, Boeckh *φᾶσε ἴν*, ceteri autem editores lectionem codicum *φᾶσέ νιν* retinuerunt. Bergk, qui in quarta editione P. 4: 36 ad scripturam codicum (*ἀπίθησέ νιν*) rediit, nihilo minus Ol. 3: 26 *ἵν* legendum et pro accusativo habendum esse censet. — Tribus igitur locis Pindaro hanc pronominis figuram attribuere conati sunt viri, quorum nomina et de Thebano poeta merita majora sunt, quam ut ea quæ proposuerunt negligere possimus. Priusquam autem de his locis verba faciamus, de pronomine *ἰν* seu *ἴν* universo est disputandum.

Primum omnium tenendum est *ἴν* nusquam inveniri in codicibus scriptorum Græcorum; omnis nostra de hoc pronomine cognitio grammaticis (quos enumerat Kuehner Gr. I: 458) et Hesychio debetur. Omnino autem tres sunt de hoc pronomine quæstiones: quem casum expleat, a quo spiritu incipiat, qua utatur mensura. Primum igitur quæramus utrum dativus an accusativus sit *ἵν*. — Satis notum est dativos singulares pronominum personalium et per *-οι* et (in dialectis) per *-ιν* exire: *ἐμοί, ἐμίν* (Ahr. II: 251, Helbig p. 40); *σοί (τοί* Dor.), *τίν* (Ahr. II: 251, Peter p. 50), *τεῖν* (apud Homerum; cfr. Ahr. II: 252); *ϝοῖ, ἑοῖ* (apud Hom.), *εἶν* (apud Corinnam teste Apollonio); cfr. Meyer. Gr. Gr. §§ 413, 414. Ut juxta *τεῖν* (*τεϝ-ιν*) formatum est *τίν* (*τϝ-ιν*), et juxta *ἑοῖ* (*σεϝ-οι*) exstat *οἷ* (*σϝ-οι, ϝοῖ*), ita juxta *εἶν* (*σεϝ-ιν*) probabili similitudine

[1] Cfr. *H. Weber*. p. 102: "Indessen hat die sprachvergleichung die schwierige frage über die etymologie von *αἰ, εἰ* meines wissens noch nicht endgültig entschieden."

exspectari potuit *ἵν* (*σϝ-ιν ϝίν*); et ita legitur in fragmento Hesiodeo CCIV, quod affert Apollonius, *ἵν δ' αὐτῷ θανάτου ταμίης;* nam *ἵν* pro nominativo habendum esse, quod dubitanter proposuit Meyer § 411 not. 1, non elucet ex Hesychiana glossa *ἵν αὐτῷ· αὐτὸς αὐτῷ.* Quid tribuendum sit glossæ Hesychii *εἶν· ἀντωνυμία. ἐκεῖνος,* nescio; de alia glossa Hesychii *γίν· σοί* vide infra. Si huc addimus et glossam *ἵν τυῖν· ἐν τούτῳ* apud Hesychium, unde elucere videtur, etiam extra pronomina personalia patuisse hanc formandi rationem, et dativos pluralis numeri, quos Meyer sine dubitatione cum dativis sing. num. per *-ιν* exeuntibus confert [1], verisimillimum — hac autem in quæstione nescio an supra veri similitudinem egredi non liceat — mihi videtur etiam ex stirpe reflexiva utramque dativi formam et in *-οι* et in *-ιν* fingi potuisse. — Sed ne accusativi quidem pronominalis per *-ιν* exeuntis exempla desunt. Homericum *μίν*, Doricum *νίν* notissima sunt (cfr. Curt. Grundz. p. 532, Kuehner. Gr. I: 457); etiam secundæ personæ accusativus per *-ιν* exiens (*τίν*) occurrit apud Theocritum (11: 39, 55, 68) et apud Corinnam; quem tamen num Ahrens I: 207 recte explicaverit, dubito. Deinde Apollonius apud Antimachum et Corinnam *ἕϊν* etiam accusativum fuisse docet. [2] Huc fortasse etiam spectat glossa Hesychiana *ἵν· αὐτή. αὐτήν. αὐτόν. Κύπριοι*, quam Kuehner p. 459 hoc modo vult corrigere: *ἵν· αὐτόν. αὐτήν. αὐτό.* Neque tamen me effugit esse qui Theocriteum accusativum *τίν* pro mero loquendi vitio habendum esse censeant, quod poeta in Idyllio Cyclopio ex industria admiserit; cfr. Fritzschium ad 11: 39, Ahr. II: 254, Kuehn. Gr. p. 457. — Hæc si comprehendimus, apparet neque dativum *ἵν* neque accusativum in græca lingua satis certis confirmari testimoniis, dativum autem plurium figurarum similitudine niti posse, paucissimisque locis, ubi *ἵν* traditum est ab Apollonio et Hesychio (excepta illa glossa *ἵν· ἀυτή. αὐτήν. αὐτόν* manifeste vitiosa) dativum verisimilem esse; de accusativo *ἵν* autem nullam esse traditam mentionem. Omnino autem opus periculosæ aleæ plenissimum suscipiet quisquis hanc vocem tam dubiam et tam infirmis fundamentis nisam Pindaro obtrudere conabitur.

Deinde quæritur, a quo spiritu incipiat hoc pronomen. Qua in re dijudicanda ipsos codices Apollonii et Hesychii primum adeamus. In fragmento He-

[1] Meyer § 414: "Die pluralisch functionierenden Formen *ἁμῖν ὑμῖν ἄμμιν, ὑμῖν ὔμμιν, σφίν* sind ohne Zweifel mit diesen singularischen Dativen auf *-ιν* gleichartig." Cfr. Kuehner. Gr. I: 457.

[2] Quin enim Bekker jure suo *ἐπὶ δοτικῆς* in *ἐπ' αἰτιακῆς* correxerit, non dubito; assentiuntur Meyer § 411, Bergk ad Ol. 3: 26, Buttmann Gr. Gr. 1: 290 not.

siodeo a principio scriptum est *ἦν δ' αὐτῷ*, quod Goettling in *ἴν* corrigit; in glossa Hesychiana *ἴν αὐτῷ· αὐτὸς αὐτῷ* codices asperum exhibent, quem tamen in lenem mutavit Albertus. Lenis autem scriptus est in glossa *ἴν· αὐτή. αὐτήν. αὐτόν. Κύπριοι.* Verum credo Ahrentem vidisse; censet enim II: 54 in glossa Hesychii *γίν· σοί* latere *ϝίν· οἱ*; Schmidt autem mavult *τίν· σοί;* sed non credibile est hanc pronominalem figuram ex Alcmane, Pindaro, Theocrito notissimam sub *γ* aberrare potuisse; sub *τ* recte occurrunt *τίν· σοί. ἦ τινά* (confusis inter se *τίν* et *τίν'*); *τέειν* (corr. in *τεῖν*)· *σοί. Δωριεῖς; τεῖν· ζητεῖν. ἄλλοι δὲ σοί.* Cfr. *γίο· αὐτοῦ* et *γῷ· ἑαυτῷ. ἰδίῳ. καὶ σῷ,* ubi Ahrens II: 54 eodem modo (sed assentiente Schmidtio) corrigit *καὶ ᾧ*. — Quod Priscianus commemorat *ϝ* digammo instructum esse, fortasse huc non pertinet, quum nominativus *ϝ* utrum cum dativo *ἴν* cohæreat necne affirmare nolim; si autem *ἴν* ad stirpem pronominis reflexivi pertinere credimus, hæc est series figurarum: *σϝίν ϝίν ἴν.* Asperum comprobant Bergk ad Ol. 3: 26, Peter p. 50, Ahrens II: 252, Kuehner I: 458, Krueger II: 25: 1: 10; lenem nullis rationibus allatis accipiunt Hermann (de dial. Pind. p. 14), Boeckh (not. crit. p. 514); Buttmann (I: 289 not.) in spiritu leni scribendo se Hesychium auctorem sequi dicit.

Tertium quæritur, qua mensura utatur hæc vox; quod difficillimum est ad dijudicandum. Apparet enim e glossis Hesychianis nihil de hac re erui posse; apud Hesiodum *ἴν* excipit particula, quæ est *δ'*. Si cetera pronomina per *-ιν* exeuntia perspicimus, hæc fere colligere possumus. Accusativus, qui est *μίν*, apud Homerum quater longam explet syllabam Il. 6: 501, 10: 347 in secunda thesi, Il. 5: 385, 11: 376 in tertia thesi; ceteris locis brevis est; cfr. Knös. p. 343. — Accusativus, qui est *νίν*, apud Pindarum semper est brevis; eandem habet mensuram Epich. Fr. 9: 1, Sophr. fr. 63. — Accusativi *τίν* (= *σέ*) mensura apud Theocritum dijudicari non potest (11: 39 *τίν, τώ,* 55 *τὶν καί,* 68 *τὶν φίλον*); neque plus cognoscere licet ex Cor. Fr. 4, quamquam brevis videtur esse. Si Ahrens I: 207 hanc accusativi figuram recte explicasset, vocalis *ι* pro longa habenda fuit; cfr. autem Beerm. p. 74 Apud Pindarum Hermann (de dial. Pind. p. 14) eundem accusativum (brevem) agnoscit P. 8: 68, quod jure suo vituperant Boeckh not. crit. p. 493, Peter p. 50. Boeoticum *τίν* nonnullos grammaticos pro longo habuisse narrat Apollonius. — De *ἔτ̓ν,* quod et dativum et accusativum fuisse Apollonius est auctor, nihil statuere possumus [1]. — Dativum

[1] Omnino accusativi pronominales per *-ιν* exeuntes quomodo orti sint, nondum apparet. Curtius Grundz. p. 532 et *μίν* et *νίν* ad stirpem pronominalem, quæ est *ἰ*, revocat, ut sit

ἐμίν apud Theocritum semper produci contendit Meyer (cfr. Ahr. II: 252), sed ante Meinekium bis scriptum est ἐμἴν (5: 18, 6: 36); apud Epich. 94: 9, Acharn. 699 qua sit mensura ἐμίν, non elucet. — τίν (σοί) apud Theocritum semper longum est mensura; eodem modo apud Pindarum codices exhibent τὶν ἄωτον I. 5: 4; decies quater τίν aut in fine versus aut ante vocem a consona incipientem positum est; breve autem est τίν P. 1: 29, N. 10: 30 et apud Alcmanem Fr. 16 (29). (Pind. P. 8: 68 lectio codicum τιν' hodie Mommseno et Bergkio probatur). — τεΐν apud Homerum legitur Od. 4: 619, 829, 11: 560, 15: 119, Il. 11: 201 et in duabus inscriptionibus, quas commemorat Herodotus V: 60, 61; ubique autem sequitur vox a consona incipiens. — De dativis pluralibus vide Meyer. Gr. Gr. § 421. Jure suo videntur Meyer (§ 414), Kuehner (I: 449 n. 1), al. longam terminationem et horum et singularis numeri dativorum pro primigenia habere, quamquam quomodo explicanda sit hæc terminatio minus elucet [1]. Iam mature autem hæc longa terminatio corripi coepta est: ut apud Pindarum (præter τίν I. 5: 4) solus longus dativus est ὑμῖν I. 2: 30. Ante voces a consona incipientes leguntur ἄμμιν P. 4: 155, 167, Fr. XI: 69: 2, ὔμμιν Ol. 13: 14, 14: 5, P. 2: 3; brevis est terminatio in ἄμμιν I. 7: 44, ὔμμιν Ol. 11: 17 (apud Bergkium), Fr. IX: 1: 4, σφίν Ol. 7: 80, 9: 47, P. 1: 74, 5: 55, 9: 12, 116, N. 6: 30, 46, I. 7: 30; deinde litera ν pro paragogica habita est; apud Pindarum leguntur ἄμμι I. 1: 46, 6: 49, 7: 10, ὔμμι P. 4: 259, σφί Ol. 8: 83, N. 6: 50, 11: 7 (ubi σφί tamen correctioni Boeckhii debetur). Omnes hæ figuræ per ῐ exeuntes apud Homerum ipsum reperiuntur.

De pronomine igitur, quod est ἵν, hoc mihi in universum statuendum videtur: ἵν est dativus stirpis pronominis reflexivi σϝε, quem temporibus Pindari digammo instructum fuisse similitudine vocum ϝοῖ ϝέ ϝός ϝίδιος credibile fit; ex origine longum fuisse, postea corripi potuisse, ex comparatione aliorum pro-

utraque forma pro accusativo ἰμ duplicato (ἰμ-ἰμ). Vocali initiali aphæresi ejecta ortum est μίν, cujus μ deinde in nasalem dentalem transiit. — G. Meyer (§ 412) μίν et νίν inter se cohærere prorsus negat. Christ μίν ad stirpem σϝε pertinere contendit. De Boeotico et Theocriteo τίν quid censeant Fritzsche, Ahrens, Kuehner, Beermann, supra attuli. Quum igitur quomodo ortæ sint hæ figuræ tam sit obscurum, non est mirum, si de mensura nihil pro certo statuere licet. In Græca autem lingua, si Homericum μίν excipimus, quod fortasse νι thesis productum est, nihil obstat, quominus omnes accusativos pronominales in -ιν per brevem terminationem exiisse statuamus.

[2] Non prætereunda mihi videtur conjectura Meyeri, syllabam suffixam ιν cum ε stirpis coaluisse, ut ἐμίν, τίν, τεΐν, ἵν, ἑΐν, ἄμμιν, ὔμμιν, σφίν ad ἐμε-ιν, τϝε-ιν, τε ϝε-ιν, σϝε-ιν, σε-ϝε-ιν, ἀμμε-ιν, ὑμμε-ιν, σφε-ιν reducenda sint. Hanc autem figuram antiquissimam in titulis recentioribus (ἡμεῖν) retineri potuisse, non credo. Cfr. Meyer. Gr. Gr. § 421.

nominum apparet. *ἵν* autem accusativum fuisse ut levibus et incertis similitudinis nititur fundamentis, ita nullum exstat apud Græcos grammaticos testimonium. Nolo hanc vocem ad stirpem *ἰ*, unde ortum est Latinum *is*, referre, eam maxime ob causam, quod cum Ahrente in Hesychiano *γίν* digamma agnosco. [1]

Hoc modo via, quantum fieri potest, munita ad singulos locos Pindaricos inspiciendos transire possumus. Initium capiamus ab Ol. 3: 26, ubi Bergk accusativum *ἵν* Pindaro obtrudere conatus est. Mihi quidem correctio Bergkii et supervacanea et incertissima videtur, nam ut accusativus *ἵν* nullis antiquorum testimoniis confirmatur, ita in iis, quæ hoc loco corrigere vult Bergk, nihil inest, quod correctorem desideret. *ὥρμαιν'* enim, quod aliis Pindari editoribus dubitationem injecit, Bergk intactum reliquit; quod autem Platonicum *πόρευσις* Pindaro attribuere studet, nescio an audacius quam felicius egerit. [2] Nec magis opus est ad *ἐλθόντ'* addere pronomen [3]. Si quis tamen objectum pronominale desiderat et in ceteris correctionem Bergkii accipere vult, ne ei quidem illud *ἵν* probari posse credo; multis enim locis *νίν* positum esse post vocem in *ν* literam desinentem Boeckh ipse (not. crit. p. 401) animadvertit. Scholiastam veterem *ἵν* non legisse certissimum est (*"ἐὰν διὰ τῶν δύο νν, Ἰστρίαν νιν*,

[1] Pronomen *ἰ* in *ἴ-να* et *ἴ-γνητες* (in cod. *ἵ-γνητες*), quod Hesychius interpretatur: *οὕτως ὠνομάζοντο οἱ μετὰ τοὺς Τελχῖνας ἐποικήσαντες τὴν Ῥόδον*, inesse sententia est Kuehneri. Curtius (Grundz. p. 399) hoc *ι* latere credit et in suffixo demonstrativo (*οὑτος-ί*) et in *ja*, quam formam amplificatam pro stirpe pronominis relativi habet; aliter Meyer § 436.

[2] Substantiva enim Pindarica, quæ per *-σις* suffixum exeunt, numquam a verbis in *-εύω* desinentibus derivantur. Leguntur hæc: *δόσις, λύσις, Νέμεσις, ὄψις, πάρφασις, πρᾶξις, πρόφασις, ῥῆσις, στάσις, σύνεσις, φύσις* (quæ omnia etiam apud Homerum reperiuntur), *Λάχεσις, τέρψις* (quibus etiam usus est Hesiodus), *αἵρεσις, ἅλωσις, ἄμελξις, ἀνάπαυσις, βάσις, δύνασις, ἐπίλασις, θέσις, κενέωσις, κρίσις, κτίσις, κυβέρνασις, πρόσοψις, σύνθεσις, ὑπόκρισις, φθίσις, χρῆσις.*

[3] Etiamsi enim apud Pindarum sæpe pronomen objecti vicibus fungens cum participio est conjunctum (ex. gr. Ol. 1: 26 *ἐπεί νιν καθαροῦ λέβητος ἔξελε Κλωθὼ ἐλέφαντι φαίδιμον ὦμον κεκαδμένον*; Ol. 3: 28 *εὖτέ νιν ἀγγελίαις Εὐρυσθέος ἔντυ' ἀνάγκα πατρόθεν χρυσόκερων ἔλαφον θήλειαν ἄξονθ'*; Ol. 4: 13–16 *ἐπεί νιν αἰνέω μάλα μὲν τροφαῖς ἑτοῖμον ἵππων, χαίροντά τε ξενίαις πανδόκοις καὶ πρὸς ἡσυχίαν φιλόπολιν καθαρᾷ γνώμᾳ τετραμμένον*; P. 9: 26–28 *κίχε νιν λέοντί ποτ' εὐρυφαρέτρας ὀμβρίμῳ μούναν παλαίοισαν ἄτερ ἐγχέων ἑκάεργος Ἀπόλλων*; N. 10: 74 *καί νιν οὔπω τεθναότ', ἄσθματι δὲ φρίσσοντα πνοὰς ἔκιχεν*; al.), tamen non minus sæpe deest pronomen, ut in participio ipsum objectum lateat (ex. gr. Ol. 6: 52, 53 *τοὶ δ' οὔτ' ὢν ἀκοῦσαι οὔτ' ἰδεῖν εὔχοντο πεμπταῖον γεγεναμένον*; P. 4: 34 *γίνωσκε δ' ἐπειγομένους*; N. 10: 61 *ἀπὸ Ταϋγέτου πεδαυγάζων ἴδεν Λυγκεὺς δρυὸς ἐν στελέχει ἥμενον*; objecti omissi aliud exemplum est Ol. 1: 63, 64 *οἷσιν ἄφθιτον ἔθεσαν*, ubi Mommsen male scribi jubet *θέν νιν*).

τὴν Σκυθίαν ἀκουσιέων· ἐὰν δὲ διὰ τοῦ ἑνός, ἡ Ἰστρία Ἄρτεμις αὐτὸν τὸν Ἡρακλέα ὑπεδέξατο"). *Ἰσιριανήν*, quod est in codicibus recentioribus, metrica potest esse correctio (nam versus debebat ab epitrito incipere); hanc lectionem tamen novit vetus scholiasta.

Nunc ad N. 1: 66 transeamus. Mutatio Hermanni *φᾶσέν ἰν* pro *φᾶσέ νιν*, quod exhibent omnes codices, ut est levissima, ita totam pervertit sententiam. *ἰν* enim Hermann pro dativo habet, quo fit, ut hoc modo interpretandum sit: Tiresias prædixit, quendam (Nessum) ei (Herculi) mortem allaturum esse; quæ tamen sententia ab hoc loco alienissima est. Primum enim hoc de morte Herculis vaticinio ordo totius narrationis interrumpitur; in iis enim, quæ præmissa sunt et quæ sequuntur, de laude et virtute Herculis est mentio; neque noster locus ad eam artem poeticam referri potest, qua Pindarus, postquam in initio fabulæ (seu mythi) summam et caput eorum, quæ exponere vult, breviter comprehendit, postea ad singulas fabellæ partes copiosius tractandas revertitur; neque apte fieri potuit, ut vates hoc tempore parentes de miserrima filii morte certiores faceret. *καὶ γάρ* autem Hermann frustra ad summam vaticinii spectare contendit; difficile fit ad intelligendum, nisi hæc fere est sententia: Hercules multa monstra multosque homines sceleratos necabit; neque hoc mirum; nam tanta erit vis et virtus ejus, ut dii ipsi adjutorem eum advocaturi sint. Accedit, quod vetus scholiasta interpretandi rationem Hermanni prorsus ignorat; interpretatur enim: *πρὸς τὸ ὀρθὸν τοῦ λόγου ἀντὶ αἰτιατικῆς τὴν δοτικὴν ἀκουστέον, ἵν' ᾖ· καί τινι ἀδίκῳ ἀνδρὶ αὐτὸν τὸν Ἡρακλέα ἔφασκε δώσειν μόρον, ἀντὶ τοῦ τοὺς ἀδίκους ἀνελεῖν.* Denique sine causa Hermanno offensioni est illud *ἐχθρόταιον μόρον*; "nam cur tandem", inquit, "acerbius sit ab Hercule quam a quovis alio interfici? Aut quale illud tam dirum supplicii genus fuit, quo Hercules magis quam alii viri fortes metuendus esset? Aut qui denique sunt isti, in quos crudelius quam in tot alios sævierit?" Apparet autem, *μόρος* per se non esse *mors*, sed *fortuna*, *sors;* de mala fortuna tamen sæpissime usurpatur, ut Pindarus ipse P. 3: 58 dicit: *αἴθων δὲ κεραυνὸς ἐνέσχιμψεν μόρον*. Ol. 13: 87 autem *διασιωπάσομαί ϝοι μόρον ἐγώ* non ad *mortem* Bellerophontis spectat; vide schol. ad hunc locum. Nostro loco mortem circumlocutione quadam poeta vocat *ἐχθρότατον μόρον*, ut Ol. 10: 105 est *ἀναιδέα μόρον* (apud Mommsenum et Christium). — Mihi igitur persuasum est poetam non de morte dono Nessi Herculi allata verba facere et *νίν* retinendum esse. Ita autem quæritur, quomodo explicanda sint verba. Conjectura Ahrensii *παύσειν* pro *δώσειν* non explicatur accusativus *τὸν ἐχθρότατον μόρον;* neque arridet ratio interpungendi,

quam commendat Mezger; Mommseni *γεύσειν*, Rauchensteinii, aliorum *τινι στείχοντι*, Beckii *τῷ ἐχθροτάτῳ μόρῳ* omnia facilia sunt ad intelligendum, sed obstat consensus codicum et scholiorum. Omnium maxime mihi placet, quod Bergk in ultima editione proposuit: *κεἴ τινα σὺν πλαγίῳ ἀνδρῶν κυροῖ στείχοντα*. *κυρέω* cum accusativo conjunctum non magis offendit apud Pindarum quam apud Euripidem; I. 5: 36 Mommsen legit *τοῦτον κύρησεν δαινύμενον*. *κεἴ* legitur Fr. XI: 96. *σὺν πλαγίῳ* adverbialiter est dictum; cfr. *σὺν δίκᾳ* P. 9: 96 et apud Atticos *σὺν τᾷ δικαίῳ*, *σὺν τῷ ἀδίκῳ*, *σὺν τῷ ἀληθεῖ*, *σὺν καλῷ*, *σὺν γενναίῳ*, *σὺν ἀγαθῷ*; et animadvertendum est scholiastam ita interpretari neque de *κίρω* verba facere (*σὺν πλαγίῳ· οὐ κατ' εὐθὺ ἰόντι, οὐκ ἀπὸ τοῦ δικαίου περιουσιαζομένῳ*). Si quis autem dubitat, num ante tempora scholiastæ *κεἴ* in *καί* et *κυροῖ* in *κόρῳ* immutari potuerint (cfr. tamen *κυριώτερον* et *καιριώτερον* Ol. 1: 104), aut cum Friesio *δίδωμι* hic cum duobus accusativis conjunctum statuere cogitur, aut fortasse de illo Græcorum poetarum usu cogitare potest, quo fit, ut verbum cum objecto ita ad unum coalescat, ut novum objectum ad hanc circumlocutionem addi possit (v. Krueger. Gr. Gr. II: 46: 18: 2).

Multo autem difficilius est P. 4: 36, ubi in omnibus codicibus exstat *οὐδ' ἀπίθησέ νιν*, quod quomodo sit interpretandum ambigi potest. *ἀπιθέω* enim semper cum dativo conjungitur (excepto Hymn. Hom. 5: 448 *οὐδ' ἀπίθησε θεὰ Διὸς ἀγγελιάων*) et significatione utitur intransitiva. Quod tenentes omnes editores, exceptis Mommseno et Bergkio (in ultima editione), Hermannum secuti pro *νιν* legunt *ἵν* et interpretantur: nec non obsecutus est ei (Eurypylo) Euphemus. Qui autem scripturam codicum retinent, alii aliis conflictantur difficultatibus. Buttmann (I: 290) sibi persuasisse videtur, *νίν* etiam pro dativo adhiberi posse, quod vix crediderim, quamquam de vario genere et numero hujus pronominis satis constat. Mommsen male iis, qui *νίν* pro dativo habent, N. 1: 66 ad comparationem affert. — Alii *νίν* accusativum esse et *ἀπιθεῖν νιν* eodem modo dictum credunt atque *ἕπεται γένος τιμᾷ* N. 10: 37 (et fortasse *γένος Ἰαμιδᾶν ὅλβος ἕσπετο* Ol. 6: 71, 72). Omnium autem maximam movet admirationem Triclinius, qui teste Mommseno hanc credit esse sententiam: Eurypylus eum (Euphemum) haud indocilem habuit sibi; quam interpretationem ne id quidem confirmat, quod *ἥρως* in altero membro sequitur; cfr. P. 12: 19. Quod autem Mommsen contendit, etiam apud veteres scholiastas *ἀπιθεῖν* transitive redditum esse, errare videtur, nam *ἀπιθῆ αὐτὸν πεποίηκε* circumlocutio est verbi *ἀπίθησε*. Transitiva significatio verbi *ἀπιθεῖν* inaudita est et vis reflexiva pronominis *νίν* certe apud Pindarum nusquam apparet (de *μίν* reflexivo

apud Homerum ambigitur; cfr. Meyer. Gr. Gr. § 411, Kuehner. Gr. Gr. p. 451 n. 5); reperitur autem *νίν* apud Pindarum fere centies.

Quæ quum ita sint, Hermann hoc loco *ἵν* suo jure restituisse videtur. Fuit olim *ἀπίθησέ ϝιν;* digammo amisso et litera paragogica ad hiatum explendum addita factum est *ἀπίθησέν ἵν*, quod quam facile errore librarii in usitatiorem figuram *ἀπίθησέ νιν* abire potuerit, nemo est quin videat.

(ϝ)*ἦθος*, *ἠθαῖος*.

In stirpe harum vocum latere et stirpem pronominis tertiæ personæ et radicem *dha*, gr. *θε*, Curtius Kuhnium secutus exposuit Grundz. p. 251, ubi inprimis significationum ratio animadvertenda est. Cognatas voces aliarum linguarum Curtius l. l. et Knös p. 217 collegerunt. Alia digammi testimonia sunt glossæ Hesychianæ et nonnullæ figuræ, quæ nisi ex ϝ explanari non possint. Ex inscriptionibus nihil adhuc erutum est, neque apud poetas voces hujus stirpis sæpe leguntur. Apud Homerum *ἦθος* solum digamma requirit; apud Hesiodum quinquies desideratur consona initialis in hac voce: Theog. 66, Op. 167, 222, 525, 699 (Sachs p. 52 huc etiam addit Bentleyanam correctionem *ἐπίχλοπα ἤθη* Op. 67).

Non multa sunt exempla Pindarica. Post trochaicam arsim explet digamma hiatum Ol. 11: 21 *διαλλάξαιντο ϝῆθος;* in fronte versus legitur *ἤθεσιν* P. 4: 258; digamma non accipiunt Ol. 13: 13 *συγγενὲς ἦθος*, N. 8: 35 *τοιοῦτον ἦθος*.

Vox, quæ est *ἠθαῖος*, I. 2: 48 syllabam brevem in consonam desinentem non producit; neque aliis locis apud Pindarum reperitur hæc vox.

Ad eas voces nunc progressi sumus, quas in fronte *ϝρ* olim habuisse constat.

ϝρήγνυμι, *ϝρηγμίς*.

Curt. Grundz. p. 531, Knös p. 291. Digammo ante *ρ* locum olim fuisse, testes sunt figuræ grammaticæ, in quibus geminata est consona *ρ* (apud Pindarum est *ἄρρηκτος* I. 5: 47, ubi Mommsen Suppl. p. 134 conjicit *ἄϝρηκτος* [1]).

[1] Productio augmenti syllabici in verbis, quæ ante *ρ* digamma habuisse constat, qua via facta sit, ambigitur. Neque enim desunt (Leo Meyer, Knös, al.), qui temporibus Home-

Alcæum dixisse *ϝρῆξις* docet Trypho (Ahr. I: 30 not. 2), quamquam alii grammatici apud Æoles digamma ante *ρ* in *β* esse immutatum contendunt (*Βρῆσσα*, nomen promontorii Lesbiaci; Ahr. I: 34, Meister I: 107); cfr. de hac re Ahr. I: 35, Meyer. Gr. Gr. § 242; aliter Meister Dial. I: 108. — Neque minus pro *ϝ* legitur *v* in *αὔρηκτος*, *εὐράγη* (Ahr. I: 37). Accedunt glossæ Hesychii *τραγαλέον· διερῤῥωγότα*, *τρηγαλέον· διερῤῥωγότα* (Ahr. II: 56), *ὑρειγαλέον· διερῤῥωγός* (Curt. Grundz. p. 551). In tabulis Heracliensibus leguntur *ἄρρηκτος* et *ἐρρηγεῖα* (Meister. Her. p. 405, Tud. pp. 24, 25; cfr. Curt. Verb. II: 177); in titulo Theræo antiquæ scripturæ est ***ΡΕΚΣΑΝΟΡ*** (Tud. p. 49), ubi digamma

---

ricis digamma ante *ρ* sonum vivum et integrum fuisse contendant, ita ut aoristi figura fuerit *ἔϝρηξα*, non *ἔρρηξα*. Cfr. Knös. p. 290; aliter Curtius Verb. I: 113. De Homerico sermone nihil affirmaverim, quamquam cum Curtio non video, cur non sit verisimile digamma apud Homerum sequenti consonæ assimulari potuisse. Sed ne apud Pindarum quidem res facilis est ad dijudicandum; nonnulla tamen habeo, quæ dicam. Primum enim ne pro *ἄρρηκτον* apud Pindarum *ἄϝρηκτον* scribamus, eo prohibemur, quod digamma mediis in vocibus aliquanto prius quam in fronte vocum e numero vivorum sonorum evanuisse ex omnium dialectorum monumentis satis elucet. Deinde maximi momenti in hac re sunt testimonia inscriptionum; in titulis autem digammi ante *ρ* mediis in vocibus servati hæc sola exempla inveni: *ἐϝρητάσατν*, *εὐϝρητάσατν* in tabula Idaliensi, *ἔϝρεξε* (apud Deeckium *ἔϝρεξα*) in titulo Golgis reperto (Samml. 71); de his autem Cypriis inscriptionibus satis sit verba Tudeeri p. 125 afferre: "Ex ipsis autem titulis hoc certe apparet apud eam stirpem Græcam, unde oriundi erant Cyprii, tum cum ab ea hi discesserunt, digammi usum antiquum magis viguisse quam in ulla dialecto ætate remotissima, ad quam inscriptionum ope possumus penetrare." Contra in tabulis Heracliensibus, quas exitu quarti sæculi exaratas esse inter omnes constat, leguntur figuræ assimulatione affectæ, quæ sunt *ἄρρηκτον*, *ὐρρήκτω* (octies), *ἐρρηγεῖας* (octies), et in titulis Atticis *ἀπορραντήριον*, *ἀρράβδωτος* (Cauer p. 282). Quæ quum ita sint, non verisimile mihi videtur Pindarum appellavisse *ἄϝρηκτον*; potius crediderim, Pindaricam formam fuisse *ἄρρηκτον* eadem spirantis cum liquida assimulatione, quam summa constantia Æoles servasse cognitum est. — Longius autem quam Knös et L. Meyer progressus est Mommsen, qui *ἀπὸϝρηγνύμεναι* al. Pindarica fuisse putat. Quod non credo virum illustr. multis persuadere posse. Etiamsi enim concederemus, ætate Pindari *ἄϝρηκτον* dici potuisse, tamen ad *ἀπὸϝρηγνύμεναι* comprobandum necesse erat demonstrare spirantis cum sequente liquida eandem esse rationem atque mutæ cum liquida, ut ante *ϝρ* syllaba corripi posset eodem modo atque ante *βρ*, (*γρ*), *δρ*, *πρ*, *κρ*, *τρ*, *φρ*, *χρ*, *θρ*, in media voce; quod ad demonstrandum non sufficit Pindaricum *ἔσλός*. Multo verisimilius mihi videtur spirantem, ubicumque brevis syllaba opus esset, prorsus evanuisse. — Omnino autem cavendum est, ne in carminibus poetarum, ubi ad digamma confirmandum non fere nisi rationibus metricis nitimur, digamma inculcemus, ubicumque e rationibus artis grammaticæ et ex linguarum cognatarum comparatione huic literæ olim locum fuisse concludamus. — Quod Ol. 9: 91 *ὀξυρρεπεῖ*, P. 4: 198 *ἀπορρηγνύμεναι*, P. 6: 37 *ἀπέρριψεν* geminata liquida *ρ* in multis codicibus leguntur, librariorum erratis tribuo.

plane evanuit; eodem modo se habet *ἀποῤῥηγνύμεναι* P. 4: 198 (Mommsen aliter). Locos Homericos examinant Knös pp. 292, 293, Leskien pp. 41, 42. *ϝῥήγνυμι* semel reperitur apud Pindarum, N. 8: 29 *ἔλκεα ϝῥῆξαν*, ubi ante *ϝῥ* producitur brevis vocalis in thesi. — Ol. 8: 45 post *πρώτοις* Bergk conjecit *ῥήξεται* pro tradito *ἄῤῥεται*, quam correctionem in contextum intulit Christ. *ϝῥηγμίς* legitur N. 5: 13 *ἐπὶ ϝῥηγμῖνι*, ubi producitur in thesi ultima præpositionis syllaba.

ϝῥιγέω.

Curt. Grundz. p. 353. — Apud Homerum nisi in duplicata voce *καταῤῥιγηλός* et figuris augmento ornatis nullam exstare memoriam spirantis labialis Knös p. 300 exposuit. Apud Hesiodum leguntur *ῥιγηλοί* Scut. Herc. 131 in initio versus et *ῥίγιον*, quod Op. 703 vocem *οὐ* excipit.

Apud Pindarum ante *ϝῥίγει* N. 5: 50 producitur ultima syllaba vocis *μηκέτι* in thesi trochaica.

(ϝ)ῥίπτω, (ϝ)ῥιπά, ῥίμφα, ῥιμφάρματος, ῥιψαύχην.

Curt. Grundz. p. 353. — Voces Græcas a consona *ῥ* incipientes olim ante *ῥ* spirantem habuisse jam satis constat; cfr. Meyer. Gr. Gr. § 163; hanc autem spirantem digamma fuisse e linguarum cognatarum comparatione apparet. Inscriptiones Græcæ nihil adjumenti suppeditant. In *ῥίμφα* huc trahendo Knösium secutus sum; post nasalem consonam, qua stirps est amplificata, tenuis in aspiratam transiit eodem modo atque in *ὀμφή*. — De Homericis digammi testimoniis verba fecit Knös pp. 302, 303; apud Hesiodum sunt *ἔῤῥιψε* Th. 181, *μὲν ῥίπτασκον* Scut. 256, *ῥῖψε ῥίμφα ῥιπῇ* in initio versus Th. 868, Scut. Herc. 342, 378, Th. 681, 849.

(ϝ)ῥίπτω. Ante *ϝῥίψαις* producitur particula *δέ* in thesi trochaica P. 1: 45. A simplici consona *ῥ* incepisse *ῥῖψον* (post *σιόμα*) Ol. 9: 36 apparet. Mitto P. 3: 57 *Κρονίων ῥίψαις* et P. 4: 232 *χροκόεν ῥίψαις*. Augmento ornatum est *ἔῤῥιψε* I. 6: 44, ubi Mommsen suo more *ἔϝῥιψε* proposuit. Evanuit autem spirans initialis in duplicata voce *ἀπέῤῥιψεν* P. 6: 37, ubi tamen in plurimis codicibus est *ἀπέῤῥιψεν*.

(ϝ)ῥιπά octies legitur apud Pindarum. Ante ϝριπαῖς producitur in thesi trochaica terminatio dativi pluralis P. 9: 48 *κύμασι ϝριπαῖς*, ubi eo minus *ν* paragogicum addendum censeo, quod deest hæc litera in omnibus codicibus vetustis et in editionibus Aldina et Romana. — Mitto P. 4: 195 *κυμάτων ῥιπάς*, N. 3: 59 *ἀνέμων ῥιπαῖσι*, Fr. XI: 44: 1 *δάεν ῥιπάν*, et *ῥιπαῖσι* P. 1: 10, *ῥιπαῖσιν* Fr. V: 1: 6 in initio versus. Digamma autem plane ejecerunt N. 1: 68 *ὑπὸ ῥιπαῖσι* et Fr. XI: 138: 3 *τᾷ ῥιπαί*.

ῥίμφα in fronte versus legitur I. 2: 3.

ῥιμφάρματος semel solum reperitur, Ol. 3: 37, ubi antecedit particula *καί*. Ab *ῥιψαύχενι* incipit Fr. XI: 121: 2.

Cum *ῥίπτω ῥιπά* non desunt qui cognatione cohærere contendant voces, quæ sunt *ῥέπω*, *ῥάβδος*, *ῥόπαλον*, *ῥόμβος*; vide Knös. pp. 299, 308, Meyer. Gr. Gr. § 163, Curt. Grundz. pp. 352, 353, 638. Utut est, exempla Pindarica hic enumero.

ῥέπω bis usurpavit Pindarus. Ex Ol. 8: 23 *πολλᾷ ῥέποι* nihil elucet; P. 9: 25 *ἀναλίσκοισα ῥέπουσα* digamma non accipit. Eadem est ratio junctæ vocis *ὀξυρεπεῖ* Ol. 9: 91, ubi in nonnullis codicibus vetustis male scriptum est *ὀξυρρεπεῖ*.

ῥάβδος legitur Ol. 9: 33, I. 3: 56; neutro loco digamma fertur; excipiuntur enim *ἔχε* et *κατά*. — Hic non prætereundum est adjectivum *χρυσόραπις* P. 4: 178, quod eodem modo digamma amisit. Geminata autem est consona *ρ* in omnibus vetustis codicibus.

ῥόπαλον nisi Fr. VII: 7: 2 apud Pindarum non legitur, ubi Mommsen Boeckhium secutus hanc syllabarum mensuram descripsit $-\cup\overset{\frown}{\cup}-\cup-\cup--$. Potest sane etiam metrum hoc modo constitui $-|-\cup\cup-\cup-\cup--$, ut legatur *τραχὺ ϝρόπαλον*, sed in fragmento, ubi simile colon non est repetitum, satius videtur rem in medio relinquere.

ῥόμβος, quod Meyer Gr. Gr. § 163 ad aliam stirpem trahit, I. 3: 65 excipit longam vocalem: *ἀναπιταμένα ῥόμβον*; Ol. 13: 90 *ἰέντα ῥόμβον* et Fr. IV: 6: 2 *πάρᾰ ῥόμβοι* (apud Christium *ῥύμβοι*) digamma non ferunt.

Omnes, de quibus adhuc disputavimus, stirpes apud Pindarum interdum digammo ornatæ sunt. Vocabulorum autem, ad quæ nunc transimus, alia neque omnium eadem est ratio. Aut enim satis constat stirpem olim a digammo incepisse, ambigitur autem, num apud Pindarum vestigium cernatur spirantis initialis, aut omnino utrum a digammo umquam inceperint necne, majore minoreve jure dubitari potest.

Illius generis sunt ἑστία (ϝεστία) et ἵς (ϝίς).

ἑστία.

De origine hujus vocis non prorsus convenit, sed sive cum Rothio aliisque ad radicem *vas*, *habitare* (ϝάσ-τυ), sive cum Curtio (Grundz. p. 400) ad radicem *vas* (*ush*), *urere*, *lucere*, redimus, de digammo olim in initio fixo non est dubitandum; cfr. Latinum *Vesta*. Digamma egregie confirmat Arcadicum illud ϝιστίαν in titulo quarti fere sæculi exaratum (Tud. p. 111); accedit glossa Hesychii γιστία· ἐσχάρα (corr. pro ἐσχάτη). Quod Curtius (Grundz. p. 675) affirmat digamma hujus vocis semper in spiritum asperum transiisse, errare videtur vir illustr.; in tabula Hypocnemidica bis est ΙΣΤΙΑΙ (ἰστίᾳ); v. Tud. p. 46, Allen. p. 50 not. 43; Meister Her. p. 398 glossam Hesychianam ἑπτία· ἑστία commemorat, ubi eodem modo ad lenem progressus est asper. Cfr. Arentem p. 9. Ceteris autem locis semper aspero spiritu instructam hanc vocem inveni: in Laconico titulo C. I. 1511 (Tud. p. 17) ΕΦΕΣΤΙΟΙ, quæ vox apud Homerum ipsum sæpius legitur; ἱστιεῖω ter in tab. majore Heracliensi (Tud. p. 23); ἑστίαν et ἱστίαν sæpius in titulis Cretensibus (Tud. p. 55); Ἱστιαΐδας in titulo Tanagræo (Tud. p. 86); cfr. Hartmann. de dial. Delph. p. 33. — In dialectis Homerica, Hesiodea (Theog. 454, Op. 734?), Jonica, Heracliensi, Delphica, Locrensi, Cretensi, Sicula, Arcadica propter sequentes consonas στ ε in ι transiit; cfr. Curt. Grundz. p. 703, Ahr. II: 120, Meyer. Gr. Gr. § 33. — E carminibus Homeri de digammo nihil posse concludi ostendit Knös p. 131. Apud Hesiodum legitur Ἱστίην in initio versus Th. 454; eandem sedem obtinet ἱστίῃ (ἑστίῃ?) Op. 734.

Neque apud Pindarum certa digammi fundamenta reperiuntur. Invenitur hæc vox septies in carminibus Pindaricis. Præmissa est præpositio παρά elisione deminuta Ol. 12: 14, Fr. IV: 7: 3; μάχαιρᾰν excipitur P. 5: 10, Ἱέρωνος Ol. 1: 11. P. 11: 13 scribi potuit ἔμνασε ϝεστιᾶν, nisi testimonia inscriptionum et exempla Homeri Hesiodique quot et qualia essent considerantes admoneremur, ut rem cautius ageremus. Etiam incertiora sunt I. 3: 35 (ubi ne μάχαιραν ϝε-

σιἰαν scribamus, monent et v. 17 τετραορίᾶν et simile illud μάχαιραν ἑσιίαν P. 5: 10) et N. 11: 1, ubi brevis ultima vocis λέλογχας in primo systemate minus offendit. — ἶσιία nusquam legitur in codicibus Pindaricis, ἐσιία semel (P. 5: 10) in codice Moschopuleo, qui litera *a* signatur.

ἴς, ἰσχύς, Ἴσχυς, ἰσχύω.

De origine et significationum ratione vocis ἴς vide Curt. Grundz. p. 392; cfr. Knös. p. 127; de mensura vocalis ι antea fecimus verba (p. 43). — In magno cratere Cæretano scriptum est **ΓΙΦΙΤΟΣ** (Tud. p. 34); adde glossam Hesychii γίς· ἰμάς. καὶ γῆ(?). καὶ ἰσχύς.

Apud Pindarum legitur ἶνας I. 7: 53 in initio versus. P. 4: 253 Kayser et Christ conjectura assecuti sunt ἐπεδείξαντο ϝῖν', quod tamen, quum careat codicum fundamento, in ratione non habeo. Cfr. pp. 32, 33. — Voces junctæ, quæ ab ἰφι- incipiunt, nulla exhibent digammi testimonia. In fronte versus leguntur Ἰφικλέος I. 1: 26, Ἰφιμεδείας P. 4: 89, post longam syllabam ἀκούσαις Ἰφίων Ol. 8: 81; obstant autem plane consonæ initiali P. 11: 22 ἄρ' Ἰφιγένει', P. 11: 59 τὸν Ἰφικλείδαν, P. 9: 88 καὶ Ἰφικλέα.

Ad eandem stirpem Curtius retulit ἰσχύς; cfr. glossas Hes. βισχύν· ἰσχύν. σφόδρα ὀλίγον. Λάκωνες; γισχύν· ἰσχύν. Sed apud Pindarum digamma non prodit hæc vox. Primam versus sedem obtinent ἰσχύος N. 9: 12, ἰσχύν N. 11: 31; semel autem antecedit vox elisione deminuta Ol. 1: 96 ἀχμαί ι' ἰσχύος, bis correpta diphthongus αι, N. 6: 66 καὶ ἰσχύος, I. 3: 86 γίνεται, ἰσχύος, semel syllaba brevis per consonam exiens Fr. VII: 4: 3 ἀμάχανον ἰσχύν. Nomen proprium, quod est Ἴσχυς, semel legitur, P. 3: 31 γονὺς Ἴσχυος. ἰσχύει sequitur vocem ἀνδρῶς Fr. III: 10: 2.

Eæ, quas nunc enumerabimus, voces aut utrum omnino a digammo umquam inceperint necne, ambigi potest, aut sine justa causa a nonnullis digammo sunt ornatæ.

ἔθνος.

De radice nondum satis liquet. Leskien p. 22 nihil habet, quod proferat, Curtius de origine tacet. Doederlein ad radicem σϝεθ (ἦθος) confugit; eandem

sententiam Sachs p. 46 amplectitur et fortasse eodem spectat Curtius in ἔθνος idem suffixum agnoscens atque in γάνος, ἴχ-νος (Grundz. p. 172). — Ex inscriptionibus nihil elucet. — Apud Homerum in hiatu est, quamobrem Curtius (Gr. Gr. § 34 D) ἔθνος inter eas voces enumerat, quas digamma in fronte olim habuisse constare putat. Cautius Knös p. 175 iis vocibus ἔθνος adnumeravit, quarum consona est dubia. Meyer § 239 ϝέθνος non enumerat. — Utut est, apud Pindarum nulla certa digammi testimonia exstant. Christ quidem cur I. 5: 32 in initio versus ϝέθνεα scripserit, non intelligo, nisi illud τ', quod post Μερόπων in omnibus libris et scriptis et impressis ante Boeckhium legebatur, ex digammo vocis ἔθνος ortum esse putaverit; quod tamen incertum est. Majore fortasse fiducia N. 11: 42 legi potuit οὕτω ϝέθνος, quum in codicibus sit οὕτω σθένος, dummodo ex cognatarum linguarum comparatione de origine certius quid addere nobis licuisset. — Ol. 1: 66 ἀνέρων ἔθνος nihil affert argumenti. Digamma autem plane respuunt Ol. 10: 97 κλυτὸν ἔθνος, P. 4: 252 Λαμνιᾶν τ' ἔθνει, P. 5: 79 ἐλάσιππον ἔθνος, P. 10: 28 βρότεον ἔθνος, N. 3: 74 βρότεον ἔθνος, N. 5: 43 ὁμόσπορον ἔθνος, Fr. IV: 9 Βοιώτιον ἔθνος.

ἐλθεῖν.

Ad Ol. 6: 28 σάμερον ἐλθεῖν Mommsen (Suppl. p. 57) "vide", inquit, "an Pindaro brevem ante ἐλθεῖν producere licuerit. Legitur enim I. 5: 57 γάρ ante ἦλθον in thesi quidem, sed in antistrophicis longa." Tum ad Ol. 9: 83 ξενίᾳ δ' ἀρετᾷ τ' ἦλθον (Suppl. p. 133) "erat", inquit, "cum τ' delendum esse existimarem, ut esset "ad hospitalem (i. e. hospitis) gloriam veni", collato I. 5: 57, ubi in verbis Φυλακίδᾳ γὰρ ἦλθον . . . ταμίας producta est vocula γάρ ante ἦλθον ob causam nobis ignotam." Deinde ad N. 10: 79 conferri jubet Ol. 6: 28, I. 5: 57, quorum versuum comparatione quid sibi velit nescio, nisi lectionem codicis Vaticani ἀντία ἦλυθε defendi posse studet comprobare. — Quæ si comprehendimus, quæri potest, quænam fuerit hæc vis verbi ἐλθεῖν, qua Pindaro licuerit ante hoc verbum syllabas breves per consonam exeuntes producere, diphthongum longam servare, brevem vocalem non elidere. Hæc autem vis in iis solis vocibus reperitur, quæ a consona olim inceperunt. Si igitur jure suo Mommsen contendisset ante ἐλθεῖν poetæ licuisse syllabas hoc modo dimetiri, eodem jure contendere potuit, ἐλθεῖν a consona quadam olim incepisse; mirandum autem est Mommsenum ex iis, quæ ipse dixit, non omnia

quæ colligenda erant concludere sed in "causa nobis ignota" hærere. — Mommsenum autem hac in re errasse neque has licentias poetæ metricas in natura quadam verbi *ἐλθεῖν* positas esse mox apparebit, si consideraverimus *ἔρχομαι* et *ἐλθεῖν* ad eandem stirpem *ἐρ* referenda esse (cfr. Meyer. Gr. Gr. § 160, Curt. Grundz. p. 546, Curt. Verb. II: 397). Etiamsi autem fuisset, cur *ἔρχομαι ἐλθεῖν* a consona quadam incepisse conjiceremus, hoc non ad figuram augmento ornatam *ἦλθον* pertinere potuisse, non opus est commonere. *ἦλθον* autem comparet et Ol. 9: 83 et N. 10: 79 et I. 5: 57. — Si ad hos locos redimus, primum non est, cur Ol. 9: 83 *τ'* rejiciamus, quum hanc particulam omnes codices et vetusti et interpolati tueantur et metrum requirat (quamquam diphthongorum *ῳ* et *ᾳ* ante vocales productarum non desunt apud Pindarum exempla). Deinde memoria tenendum est N. 10: 79 *ἀντίος ἦλυθέ οἱ* in codicibus Med. et Triclin. legi; in cod. Vaticanum hoc loco etiam aliud vitium irrepsit: *ἦλυθέν οἱ*. — I. 5: 57 malim cum Bergkio ancipitem pedem statuere (⏑⏑⏑–⏒) quam cum Mommseno *γάρ* productum esse contendere, quum ne apud Homerum quidem *γάρ* in arsi producatur (cfr. Knös. p. 348); ultimæ autem syllabæ epitriti correptæ exempla non desunt. Quod ad Ol. 6: 28 attinet, si cui, quod proposuit Boeckh, *σάμερόν μ' ἐλθεῖν* (fortasse olim *σάμερό̄ μ' ἐλθεῖν* scriptum) minus placet, syllaba *ōν* producta aut ad vim cæsuræ est revocanda (ut dubitanter fecit Bergk ad P. 3: 6) aut omnino memoriæ et imitationi Homericæ productionis, de qua vide Knös. pp. 352—354, attribui potest.

ἑορτά.

Curtius (Grundz. p. 574) in hac voce eandem radicem *var*, unde orta sunt Latinum *vereri*, Græcum *ὁρᾶν*, latere credit. Vocalis *ε* Curtio (Grundz. p. 567) prothetica videtur; Meyer dubitat § 99. Figuram *ἔροτις*, quam propter accentum retractum grammatici dialecto Aeolicæ tributam voluerunt (v. Ahr. I: 159, Meist. Dial. p. 198), quæ autem et apud Euripidem (El. 625) et in titulo Argivo (Meyer. Gr. Gr. § 173) legitur, metathesi factam esse (*ἐϝορτά-ἔϝροτις*) Curtius et Meyer inter se consentiunt. Alii autem *ε* initiale alio modo explicant, ut sit pro *ϝε-ϝορτα*, quam tamen formam Homerus non agnovisse videtur; apud Homerum enim leguntur Od. 20: 156 *πᾶσιν ἑορτή*, 21: 258 *δῆμον ἑορτήν*. Hesiodus hac voce non usus est. — Quæ quum ita sint, digamma apud Pindarum vix est quod speremus investigari posse. Neque re vera nisi conjecturis hanc

literam assequimur. Quattuor enim locis ἑορτά plane respuit consonam initialem: πενταετηρίδ' ἑορτάν N. 11: 27, θυγατρὸς ἑορτάν Ol. 6: 95, σὺν ἑορταῖς P. 8: 66, πενταετηρὶς ἑορτά Fr. XI: 102: 1; semel longam excipit syllabam, Ol. 3: 34 ταύταν ἑορτάν. — Ol. 6: 69 ἑορτάν legitur in initio versus, ubi Bergk, assentiente Mommseno (Suppl. p. 61), propter particulam post πατρί male additam (in A δ', in ceteris θ') ϝεϝορτάν antiquitus scriptum esse credit. Quamquam præ consensu omnium codicum non possumus hanc particulam additam ad metricas Triclinii correctiones referre (quibus debentur βρέφος γ' v. 33 et δρόμον γ' v. 75), tamen ὄλβος δ' ἅμ' v. 72, μῶμος δ' ἐξ v. 74, al. monent, ne his in rebus librariorum erratis nimium tribuamus. — Si de digammo hujus vocis initiali nobis persuasum esset, potuit sane N. 9: 11 νέαισι ϝεορταῖς scribi, velut v. 34 copula τε bis posita conjunguntur tria membra. Eodem modo Ol. 5: 5 ἐγέραιρε ϝεορταῖς et Ol. 10: 58 ἔστασε ϝεορτάν facili correctione adhibita legi potuerunt.

Ἴδας, ἰδαῖος.

Non desunt qui Ἴδη, ἰδαῖος ad stirpem ϝιδ relata velint, sed huic derivationi obstat, quod Ἴδη, ἰδαῖος semper a longa vocali incipiunt neque umquam apud Homerum digamma requirunt, sæpe autem prorsus respuunt (ex. gr. Il. 3: 276, 7: 202, 276, 8: 170, 410, 12: 19, 14: 157). Credibile autem est et Ἴδη et Ἰδαῖος (adj.) et Ἰδαῖος (præconis nomen Trojani Il. 3: 248, filii Daretis Il. 5: 11) et Ἴδης (filium Apharei) omnia ad unam stirpem a longa vocali incipientem pertinere. Cfr. Lex. Seileri. — Ex inscriptionibus nihil erutum est. — Apud Pindarum Ἴδας bis legitur, N. 10: 60, 71; hic præmissa est præpositio ἐπί elisione deminuta, illic particula γάρ. Ἰδαῖος semel invenitur Ol. 5: 18, ubi Mommsen et Christ εὑρὼ ῥέοντα ϝιδαῖον, ceteri editores εὑρὼ ῥέοντ' ἰδαῖον legunt. Neque codices sufficiunt ad lectionem constituendam, quum plurimi veteres ῥέοντ', optimus autem ῥέοντα exhibeat. — Si rationes metricas consideramus prima specie spondeus pro dactylo positus offendit; sed nostro loco simillimus est Ol. 10: 99, ubi propter nomen proprium ferri potest spondeus; fortasse eodem modo se habent I. 3: 71 et I. 4: 27, ubi codices vett. καδμειᾶν et οἰνεῖδαι præstant. — Si ῥέοντα legimus, necesse est a brevi vocali incepisse ἰδαῖος statuamus, quod mihi quidem audacius videtur, quum apud Homerum, Hesiodum (Theog. 1010), scriptores fabularum (ex. gr. Soph. Ai. 434) ubique hæ

voces ab iota longo incipiant. Quo quum accedat, quod neque de origine harum vocum certi quidquam est prolatum, neque apud alios poetas vel minimum digammi vestigium indagari potest, non possumus propter unum et tam dubium exemplum *ϝιδαῖος* Pindaro tribuere. Cfr. Hermann. de dial. Pind. p. 9, Boeckh. de metr. Pind. p. 296, not. crit. p. 373, schol. p. 125; Mommsen sibi ipse non satis constat, quum Suppl. p. 54 dubitari posse fateatur, utram lectionem amplectamur, p. 135 autem *ἰδαῖος* certo digammatum contendat. — Ne scripturæ codicis optimi nimium tribuamus, monemur satis magno numero elisionum apud Pindarum scriptura non expressarum. [1]

ϝῖνις?

Ol. 9: 76 omnes codices exhibent *γόνος*, quod, quum metro trochæum postulanti repugnet, editores alii aliter emendare sunt conati (Christ cur *γόνος* retinuerit, nescio). Ahrens proposuit *γίννος*, quod Mommsen *ϝίννος* scribit (in

[1] De elisione cfr. Alexanderson. p. 10, Boeckh. Præf. p. XXXVI, Momms. Suppl. p. 109. Elisionem sæpe scriptura non exprimi et apud poetas et in titulis observarunt Erman ("De titulorum Ionicorum dialecto", Lipsiæ 1872, in Curt. Stud. tom. V) p. 298—300, Meister Her. p. 396, 397, Gelbke (De dialecto Arcadica, Lipsiæ 1869) p. 34, Beermann p. 59, Hartmann p. 27, Cauer pp. 291, 292; cfr. Meyer. Gr. Gr. § 150. De elisione Pindarica brevius disputavit Peter pp. 28, 29, qui tamen scripturas codicum parum consulit. Elisionis scriptura non significatæ in codicibus vetustis et Thomanis hæc annotavi exempla: Ol. 13: 50 *ψεύσομαι ἀμφί* (in omnibus), N. 6: 30 *ἔργα ἐκόμισαν* (in omnibus, qui exstant), N. 7: 67 *πάντα ἐκ* (in iisdem), N. 8: 34 *δὲ ἀφάντων* (in iisdem), N. 9: 44 *δὲ οἵ* (in iisdem), N. 8: 14 *τῶνδε ἅπτομαι* (in iisdem, ut videtur), I. 7: 36 *θανόντα ἐν* (in Mediceis; non exstat B), Ol. 9: 29 *ἐγένοντο. ἐπεί* (in omnibus, exceptis Ambrosiano et quattuor aliis), Ol. 9: 86 *δύο ἐν* (in omnibus, excepto Ambros.), Ol. 13: 34 *Θεσσαλοῖο ἐπ'* (in omnibus fere), P. 8: 60 *τε ἐφάψατο* (in omnibus fere), Ol. 13: 17 *σοφίσματα. ἅπαν* (in plurimis), Ol. 9: 44 *δὲ εἰνᾶς* (in plurimis), Ol. 5: 16 *δὲ ἔχοντες* (in plurimis), Ol. 9: 28 *τερπνά. ἀγαθοί* (in multis), Ol. 9: 28 *δαίμονα ἄνδρες* (in multis), Ol. 13: 23 *ὕπατε εὐρύ* (in multis). P. 2: 93 *δὲ ἐλαφρῶς* (in multis), P. 4: 216 *μαινάδα ὄρνιν* (in septem), P. 11: 45 *δόξα ἐπιφλέγει* (in sex), Ol. 13: 61 *πολλὰ ἀμφί* (in Thomanis), Ol. 13: 84 *δὲ ἐκείνῳ* (in iisdem); in uno vel paucis elisio non significatur Ol. 2: 32 *παῖδα ἡλίου* (P), Ol. 2: 33 *ἄλλοτε ἄλλαι* (E. R), Ol. 2: 68 *δὲ ἐτόλμησαν* (N), Ol. 5: 8 *ἄκρωνα ἐκάρυξε* (E R), Ol. 6: 101 *δύο ἄγκυραι* (Q), Ol. 13: 69 *ἔπαλτο ὀρθῷ* (D N O), P. 1: 80 *ἐδέξαντο ἀμφ'* (*ΙΘ*), P. 2: 84 *δὲ ἐχθρόν* (*ΙΔΘ*), P. 8: 56 *ἐφθέγξατο Ἀμφιάραος* (D), P. 8: 79 *ἀγῶνα ἐπιχώριον* (X.), N. 2: 2 *πολλὰ ἀοιδοι* (Z), N. 3: 50 *θρασεῖα ἀθάνα* (D), I. 4: 42 *τοξεύματα ἔχει* (D,). Ipse Ambrosianus exhibet solus Ol. 10: 93 *δὲ ἀδυεπής*, et Ol. 5: 8 in lemmate ejusdem codicis legitur *πατέρα ἄκρων'*. — Rarius autem Moschopulus et Triclinius hujusmodi scripturæ convincuntur, qui multis e locis supra enumeratis apostrophen addiderunt.

ed. majore). Cfr. Suppl. p. 131, ubi comparatur Hesychii glossa *ἴννους· παῖδας;* apud Aristotelem *γιννός* seu *ἰννός* est hinnulus, quod fortasse considerans Bergk hanc vocem a Pindaricæ poesis gravitate longissime abhorrere contendit. Mihi quidem magis placet *ϝῖνις*, quod Bothius proposuit (*γ' ἶνις* scribens); ex *ϝῖνις* autem factum esse *γόνος* mero scribendi errore, quod opinatur Mommsen l. l., *ἀκροθόνια* pro *ἀκροθίνια* ex schol. A ad Ol. 2: 4 comparans, non crediderim; verisimile mihi videtur glossam fuisse *γόνος*, quæ ab omnibus librariis accepta est. Quod Boeckh (not. crit. p. 401) contra Bothium animadvertit, *ἶνις* neque epicum neque lyricum sed tragicorum esse, non multum valet. *ἶνις* autem Pott (v. Curt. Grundz. p. 398) cum *sveinn* in vetere Scandinavorum lingua comparat.

Mommsen ipse in editione minore *ϝίννος* rejecit et in contextum carminis conjecturam Mingarellianam *γοῦνος* intulit, quod nescio an non recte fecerit. De *ου* pro *ο* apud Pindarum posito cfr. Peter. p. 17, Momms. Suppl. p. 95. Certa videntur *κοῦρος*, *κούρα*, *μοῦνος*, *νοῦσος*, *οὖρος* (mons), *οὐλόμενος*, *γούνασι*, *δουρί*, *δούρατος*, *Οὔλυμπος*; in plerisque autem diphthongus productione suppletoria, quæ dicitur, orta est; de *κοῦρος*, *κούρα* ex *κορϝος*, *κορϝα* ortis vide Meyer. Gr. Gr. § 73; eodem modo explicantur *γούνασι*, *δουρί*, *δούρατος* ex *γονϝασι*, *δορϝι*, *δορϝατος*; labialem spirantem post liquidam olim fuisse etiam in *μοῦνος* et *ουρος* Curtius opinatur (Grundz. pp. 337, 350); aliter Meyer Gr. Gr. § 74; *οὐλόμενος* et Curtius (Verb. I: 246) et Meyer ad *ὀλνόμενος* referunt; de *νοῦσος* vide Meyer. Gr. Gr. § 72, de *Οὔλυμπος* § 75. Quæ quum ita sint, nolim accipere *γοῦνος*, quod quantum equidem scio nusquam in Græcis literis traditum est; neque scio, quomodo explicem diphthongum. — Animadvertendum est tamen, si *ϝῖνις* legimus, ante digamma produci in thesi syllabam brevem per consonam exeuntem, quæ productio num ætate Pindari fieri potuerit, dubitat Hartel.

Ἰσθμός, *Ἴσθμιος*, *Ἰσθμιάς*.

Thema harum vocum Curtius Grundz. p. 403 censet esse *ἰ*, quod in *εἶμι*, *eo*, al. latet. Neque aliter Sophus Bugge (Bezzenb. Beiträge z. Kunde d. Indog. Spr. III: 101), qui ex lingua Scandinavorum vetere vocem cognatam affert; cfr. Bezzenb. VI: 235. Si hæc originatio vera est, thema amplificatum esse literis *σθ* apparet; cujus rei similitudines non plane desunt in Græca lingua. Ut ex themate *ἀϝ-* (*au-di-o*) formatum est *αἰ-σθ-άν-ο-μαι*, ex th. *ἀϝ-*

(*ἄημι*) *ἆ-σθ-μα*, Homericum *ἀ-ΐ-σθ-ω*, ex th. *βα-* Homericum *βι-βά-σθ-ων*; ita autem apparet has voces a digammo non incepisse. Neque apud Homerum, neque in carminibus Hesiodeis legitur. Apud Pindarum brevem syllabam per consonam exeuntem ter excipit vox, quæ est *Ἰσθμιάς* (Ol. 13: 32, N. 2: 9, I. 7: 4), quater *Ἴσθμιος* (Ol. 9: 84, 13: 4, I. 3: 20, 7: 63), septies *Ἰσθμός* (Ol. 7: 85, 12: 18, P. 7: 13, N. 6: 19, 10: 26, I. 4:15, 6: 21); antecedit diphthongus correpta N. 4: 75, 5: 37, vox elisa Ol. 8: 48, I. 5: 61; in initio versus leguntur *Ἴσθμιος* I. 2: 13, *Ἰσθμός* Ol. 2: 50, 13: 94, post longam syllabam per consonam exeuntem P. 8: 37, post *ν* paragogicum I. 3: 11. — Restant quattuor loci, ubi in hiatu est *Ἰσθμός*: I. 1: 8 *ἁλιερκέα Ἰσθμοῦ*, 28 *Ποσειδάωνι Ἰσθμῷ*, I. 5: 5 *αὖτε Ἰσθμοῦ*, Fr. IX: 1: 7 *λεξοῦντι Ἰσθμοῦ* (Ol. 12: 18 lectionem codicum recentiorum *καὶ δὶς ἐν Πυθῶνι Ἰσθμοῖ ϊ'* jure repudiaverunt Beck et Heyne). Fragmento IX: 1: 7 non multum tribuo, quum *Ἰσθμοῦ* Casauboni sit, quæ tamen correctio omnibus editoribus est probata. Certior mihi videtur lectio, quam I. 5: 5 Hermann primus invexit: *νῦν αὖτε Ἰσθμοῦ*, quamquam in omnibus, qui supersunt, codicibus male legitur *νῦν αὖτ' ἐν ἰσθμοῦ δεσπόιᾳ*. — Boeckh (de metr. Pind. p. 310) hos hiatus nomine proprio excusatos vult, sicut ad I. 5: 5 eos ferri posse dicit. Mommsen (Suppl. pp. 135, 167) ante vocalem *ι* aliquam fuisse consonam conjicit, quam Christ (ad I. 1: 8) digamma fuisse credit. Discernere non ausim.

Ἰωλκός, Ἰαωλκός, urbs Magnetica.

De origine hujus vocis nihil allatum inveni.[1] Quamquam igitur nihil pro certo statuere licet, de digammo hujus vocis initiali non dubitant editores Pindari. Boeckh in Thessalico nomine digamma non offendere docet (not. crit. p. 383); Bergk (ad N. 3: 34) *ϝιωλκός* Pindarum dixisse affirmat; Mommsen et Christ digamma appinxerunt. Cfr. Momms. Suppl. p. 135, Peter. p. 26. — Apud Homerum leguntur Od. 11: 256 *ἐν εὐρυχόρῳ Ἰαωλκῷ*, Il. 2: 712 *καὶ ἐυκτιμένην Ἰαωλκόν*, quod utrumque consonam initialem non respuit. Hesiodus ter nominat hanc urbem; ubique autem digamma non accipitur: Theog.

[1] Si figuram, quæ est *Ἰωλκός*, solam respicimus, nihil impedire credo, quominus eam a digammo incipere et ad stirpem *ϝελκ* reduplicatione amplificatam pertinere statuamus (*ϝιωλκός* ex *ϝι-ϝολκ-ο-ς*), sed obstat huic derivationi Homerica et Hesiodea figura *Ἰαωλκός*, quæ quidem quomodo sit explicanda, nescio.

997 *ἐς Ἰωλκόν*, Scut. Herc. 380 *κλειτή τ' Ἰαωλκός*, 474 *κλειτήν τ' Ἰαωλκόν*. — Locorum quinque, ubi hæc vox apud Pindarum legitur, nullus digammo plane adversatur. Nam I. 7: 40 lectio codicum *φασὶν Ἰαωλκοῦ* manifeste corrupta est et emendatio Bothiana, quæ probata est Boeckhio, Schneidewino, Mommseno, Christio, num accipienda sit sane ambigi potest. Deæ justitiam divinam servanti et futuri consciæ (v. 32 *εὔβουλος*) illud *φάτις* non convenire scite intellexit Bergk; multo magis mihi arridet lectio, quam proposuit idem vir ingeniosissimus accepitque Mezger, *ὄντ' εὐσεβέσταιον φρασὶν Ἰωλκοῦ τράφεν πεδίον*; ita autem ferri potuit *φρασὶ ϝιωλκοῦ*. — P. 4: 77 *κλειτᾶς Ἰωλκοῦ* et N. 4: 54 *λαιρείαν Ἰαωλκόν* longa præcedit syllaba; Mommseni conjectura Pindarum N. 4: 54 *λάιρειαν ϝιαωλκόν* scripsisse ingeniosa illa quidem est, sed nulla codicum auctoritate confirmatur. Post priorem arsim dactylicam hiatus est P. 4: 188 *ἐς δὲ ϝιωλκόν*, ubi in omnibus libris vetustis *δ'* eliditur, et N. 3: 34 ante *Ἰωλκόν* longa servatur particula *καί*. In digammo scribendo mirum in modum discrepant inter se Mommsen et Christ: N. 3: 34 apud Mommsenum est *καὶ Ἰωλκόν*, apud Christium *καὶ ϝιωλκόν*, P. 4: 188 Mommsen scribit *δὲ ϝιωλκίν*, Christ *δὲ Ἰωλκόν* (*Ἰωλκόν* est erratum typographi). — Quod Boeckh (not. crit. p. 576) credit omnibus locis apud Pindarum scribendum esse *Ἰαωλκός*, non confirmant codices, qui P. 4: 77, 188, N. 3: 34 ad unum omnes *Ἰωλκός* exhibent; I. 7: 40 corruptum esse nuper indicavimus. Eodem consensu omnes codices N. 4: 54, ubi figura longiore opus est, *Ἰαωλκόν* defendunt.

ὁπλότερος, ὁπλότατος.

Ad I. 7: 17, 18 *πατρὸς οὕνεκα δίδυμαι γένοντο θύγατρες Ἀσωπίδων ὁπλότατα*ι, ubi omnes codices post *Ἀσωπίδων* addunt *θ'*, Bergk (in tertia ed.) particula deleta "error", inquit, "fortasse inde ortus, quod poeta *ϝοπλότατα*ι scripserat, sive germana litera æolica usus, sive illam vice spiritus usurpans." In quarta autem editione aliter judicat: "copulæ", inquit, "nullus hic locus, sed latet fortasse principalis forma vocis *ὁπλότατος*, cujus origo obscura; si fuit olim *Σοπλότατος*, poterat Pindarus Boeotorum more *Θοπλότατος* scribere." Quibus in verbis scribendis mirum quantum solito ingenii acumine destitutus est vir illustrissimus. — Ad nostram quæstionem maxime pertinet illud *ϝοπλότατος* in examen vocare. Primum quod ad originem hujus vocis pertinet, in radice enucleanda inter viros doctos non convenit. Plerosque credo *ὁπλότερος ὁπλότατος*

cum *ὅπλον* consociare, ut *ὁπλότεροι* proprie dicantur juvenes, qui armis utuntur; cui derivationi obstat, quod primaria significatio vocis *ὅπλον* non ad arma spectare videtur; cfr. Curt. Grundz. p. 453; præterea ne de *ϝόπλον* quidem constat; hanc vocem ad radicem *σεπ* (*ἔπω*) Curtius l. l. vult relatam. *ὁπλότερος* autem Curtius (Grundz. p. 458) ad eandem stirpem atque Græcum *ὀπός* et Latinum *sucus* trahit. Apud Homerum ne minimum quidem spirantis initialis vestigium reperitur; neque aliter res se habet in carminibus Hesiodeis, ubi quinquies antecedit vox elisa (Theog. 137, 333, 478, Cert. 324: 3, Fr. LXX: 5), semel vox, quæ est *Νέστορος* Fr. CXXXVIII: 2; ab hac voce incipiunt Th. 821, 946, Fr. CXXXI: 2. Apud Pindarum legitur I. 5: 6 *παίδων ὁπλοτάτου* et ab *ὁπλοτέροισι* incipit P. 6: 41; quo quum accedat, quod I. 7: 18 nulla metrica necessitate ad consonam initialem accipiendam cogimur, *ϝοπλόταται* plane rejiciendum esse censeo. Quod autem Bergk errorem Heynianum digamma spiritus vicibus functum esse repetivit, in hoc non operæ pretium erit verba profundere. — Neque melius Bergkio processit altera ratio illud *ϑ'* explicandi, qua Pindarum pro *Σοπλόταται* Boeotorum morem sequentem scripsisse putat *Θοπλόταται*. Primum enim illud *Σοπλότατος* in Græca lingua est inauditum, neque sigma initiale cogitari potest, nisi ex *sv* stirpem olim incepisse statuimus. Deinde Boeoti numquam, quod equidem sciam, *σ* in *ϑ* mutarunt; ne contrariam quidem mutationem, qua apud Lacones *ϑ* in *σ* abire solet, dialecto Boeoticæ attribuunt viri docti; cfr. Ahr. I: 173, Beermann. p. 51, Meist. Dial. I: 260; sed etiam hanc mutationem Boeotis attribuere videtur Bergk, quippe qui apud Corinnam Fr. 20 *γέγασε* pro tradito *γέγαϑε* scripserit. — Constat autem omnino, utrumque Boeotiæ poetam dialectum Boeoticam respuisse. — Quæ quum ita sint, necesse videtur aut *ϑ'* inscitia librariorum inculcatum esse credere aut hanc particulam retinere (ut interpretatur Boeckh: "patris quia geminæ fuerunt filiæ Asopidumque natu minimæ"), id quod sententia non prohibet [1]; neque enim

[1] Alia particulæ delendæ causa in eo posita est, quod versum per apostrophen exire posse vulgo negant. Quod tamen mihi non perinde actum et dijudicatum videtur atque Mommseno (Suppl. pp. 43, 44). Jure autem Mommsen contendit, vocalem elisam non prorsus evanuisse sed summissim esse appellatam et ita, ut satis audirent Græci, quænam esset illa vocalis, sed in numeris eam pro nihilo haberent (cfr. Suppl. p. 109). Cur autem Mommsen hanc summissam vocalis elisæ pronuntiationem in fine versus intolerabilem dicat, non intelligo. Jure igitur Boeckh (de metr. Pind. pp. 100, 318) plenum versum per vocem elisione affectam exire posse contendit. Apud poetas epicos fortasse rationem hujus rei aliam esse negare non ausim; certe apud Homerum (Il. 8: 206) *Ζῆν* esse legendum inter se consentiunt Ameis p. 41, Hinrichs p. 109, Curtius Grundz. p. 601, Nauck, al. (quamquam Ver-

multum valent, quæ Dissen in explic. Boeckhii p. 543 contra hanc interpretandi rationem affert. Ex circumlocutione scholiastæ nihil elucet, quamquam ibi omissam esse particulam invenisse sibi videtur Mommsen.

ὀργά, ὀργάω.

Vocem *ὀργά*, quam antea Bopp cum *ῥέζω*, *inficio*, conjunxerat, Curtius Grundz. p. 184 a digammo incepisse contendit; radicem ponit *varg;* sequitur Knös p. 142. Sed in Græca lingua digammi vestigia et paucissima et incerta sunt. Neque in Odyssea neque in Iliade hæc vox legitur. Hymn. Hom. V: 205 invenitur *εὖαδεν ὀργαῖς*, ubi tamen facili mutatione digamma restitui potest. Neque in carminibus Hesiodi nisi varia lectio est Op. 304 *εἶκελος ὀργήν* (al. *ὁρμήν*), ubi digamma non toleratur. Et grammatici veteres et inscriptiones prorsus tacent. Neque multum adjumenti nobis suppeditant voces junctæ *ἀόργητος ἀοργησία*, quum constet ætate linguæ posteriore sæpe voces a vocalibus incipientes eodem modo affectas esse atque eas, quarum frontem consona olim ornatam esse inter omnes convenit (cfr. Curt. Grundz. p. 228 sub *ἄρδω*). *ἀόργητος ἀοργησία* autem in literis Græcis primus usus est Aristoteles. — Quæ quum ita sint, etiam in carminibus Pindari maxima cautione res est agenda; Reperitur *ὀργά* apud Pindarum novies. Quinque autem locis digamma non ferri apparet: P. 1: 89 *ἐν ὀργᾷ*, P. 9: 43 *μείλιχος ὀργά*, I. 1: 36 *πᾶσαν ὀργάν*, I. 2: 35 *ὅσον ὀργάν*, I. 4: 30 *μεγαλήτορες ὀργαί*. Semel ab hac voce incipit versus P. 2: 77; P. 4: 141 *ὀργάς* excipit vocem, quæ est *θεμισσαμένους*. Restant I. 5: 14, ubi quisquis de digammo stirpis non dubitat fortasse legere potest *τοίαισι ϝοργαῖς* (in codicibus *τοίαισιν*) et N. 5: 32, ubi omnes libri scripti *τοῦ δὲ ὀργάν* exhibent, quod addita litera *ϝ* retinuit Mommsen; alii alias conjecturæ medelas adhibuerunt (facillimam fortasse Hermann p. 7: *τοῖο δ' ὀργάν*; contrarium vitium in omnibus codicibus est Ol. 14: 23, in vetustis P. 1: 39); Mommseno assentitur Peter p. 25.

Verbum *ὀργάω* Christ, Schnitzer, Mezger, al. agnoverunt P. 6: 50 (Christ *ὀργᾷς*, Schnitzer, Mezger *ὄργαις*, "participium æolicum verbi *ὄργημι*" [*ὄργαμι, ὄργαιμι?*]); neque tamen desunt, qui *ὀργαῖς* dativum legant; varias codicum

---

gilium aliam legem servasse satis constat). Apud lyricum autem poetam, cujus carmina canebantur, mea quidem sententia nihil prohibet, quominus versus mediæ saltem strophæ tam arcte cum sequente conjungatur, ut in fine apostrophæ locus sit.

lectiones et multas virorum doctorum conjecturas nunc in examen vocare tædet. Si ὀργᾶς vel ὄργαις vera est lectio neque ex circumlocutione ad μάλα ϝαδόντι νόῳ addita est ortum, apparet digamma non esse appellatum, quum præcedat Ἐλελιχθον.

ὄρκος, ὅρκιον.

Has voces ad radicem ϝερϝ referendas esse et digammi vestigia in junctis vocibus, quæ sunt ἐπίορκος, ἐπιορκεῖν, latere opinatur Knös (p. 97). Quod tamen dubium videri potest. In duabus illis antiquis tabulis, quibus inprimis debetur, quod de dialecto Locrensium cognitum habemus, quæque constanter fere digamma exhibent, semper legitur ὅρκος (semel πεντορκία, quod Allen p. 52 dubitat an pro errore sculptoris habendum sit). Et eodem modo res se habet apud poetas; neque enim apud Homerum, neque in carminibus Hesiodi ullum spirantis initialis vestigium reperitur. Quo quum accedat, quod apud Pindarum leguntur πιστὸν ὅρκιον Ol. 11: 6, γᾶρ ὅρκον N. 11: 24, μέγαν ὅρκον Ol. 6: 20, θεῶν δ' ὅρκον Ol. 7: 68 (prætereo Ἐριφύλαν, ὅρκιον, N. 9: 16, ὅρκος P. 4: 167 in initio versus), audacissimum mihi videtur, quod Mommsen olim ad Ol. 13: 80 proposuit παρὰ ϝόρκον; v. Suppl. p. 181.

Ὦανις, flumen Siciliæ.

Difficillimus est hiatus Ol. 5: 11 τε Ὦανιν, quem et Boeckh et Mommsen ut desperatissimum reliquerunt. Quod Curtius Grundz. p. 561 ω ex digammo ortum esse credit (ὦανις pro ϝᾶνις), ut incertissimum est, ita nostro loco nullam admovet medelam. An pro primaria figura habenda est ϝα-ϝανις, unde, quum digamma intermedium evanescens præcedentem sonum produceret et obscuraret, ortum est ϝώανις? Non desunt, qui Ὄαξος, Creticæ urbis nomen, ex ϝαϝαξος deduxerint; quos tamen impugnant Helbig p. 9, Curtius Grundz. p. 560. — Mommsen Suppl. p. 52 et Bergk (in ed. tertia) Siculos hoc nomen a Babyloniis mutuum accepisse conjiciunt.

Huic disputationis parti primum adjungo tabulas tres, quibus quantum quaque in voce valuerit digamma facilius ante oculos constituatur; omisi autem omnes voces junctas, locos incertos (ut Ol. 13: 103, P. 2: 81, 4: 156, N. 10: 84, F. XI: 132), omnes stirpes, de quibus plane supra (pp. 65—76) fuit mentio, exempla, ubi antecedit *ν* paragogicum.

I. Tabula vocum a ϝ incipientium.

Vox, quæ est	Producit diphthongum vel longam vocalem		Prohibet hiatum post brevem arsim	Producit syllabam brevem per consonam exeuntem	Legitur		Legitur				In summa			
	in thesi	in arsi			in initio versus	post longam syllabam per consonam exeuntem	post vocem elisam	post brevem syllabam per consonam exeuntem	post diphthongum correptam	in crasi	ostendit vim digammi	digamma neque desiderat neque respuit	digammo obstat	legitur apud Pindarum
(ϝ)άναξ	2	—	2	—	2	2	1	6	—	—	4	4	7	15
(ϝ)ανάσσω	1	—	1	—	—	2	—	—	—	—	2	2	—	4
ἄνασσα	—	—	—	—	—	—	—	—	—	2	—	—	2	2
ἀναξία	—	—	—	—	—	—	1	—	—	—	—	—	1	1
ἀναξιφόρμιγξ	—	—	—	—	1	—	—	—	—	—	—	1	—	1
	3	—	3	—	3	4	2	6	—	2	6	7	10	23
ἰάχω	—	—	—	—	1	—	—	—	—	—	—	1	—	1
ἰαχά	—	—	—	—	—	1	—	—	—	—	—	1	—	1
ἀχέω	—	—	—	—	2	—	—	—	—	—	—	2	—	2
ἀχέτας	—	—	—	—	—	—	—	1	—	—	—	—	1	1
ϝαχώ	—	—	1	—	—	—	—	—	—	—	1	—	—	1
	—	—	1	—	3	1	—	1	—	—	1	4	1	6
(ϝ)είκοσι	—	—	1	—	1	—	—	—	—	—	1	1	—	2
(ϝ)έκατι	1	—	1	—	2	5	—	2	—	—	2	7	2	11
ἕκαλος	—	—	—	—	1	1	—	—	—	—	—	2	—	2
ἑκών	—	—	—	—	2	4	1	4	—	—	—	6	5	11
	1	—	1	—	5	10	1	6	—	—	2	15	7	24
ϝιλιάδας	—	—	1	—	—	—	—	—	—	—	1	—	—	1
ἴλα	—	—	—	—	—	—	—	1	—	—	—	—	1	1
	—	—	1	—	—	—	—	1	—	—	1	—	1	2

Vox, quæ est	Producit diphthongum vel longam vocalem		Prohibet hiatum post brevem arsim	Producit syllabam brevem per consonam exeuntem	Legitur		Legitur				In summa			
	in thesi	in arsi			in initio versus	post longam syllabam per consonam exeuntem	post vocem elisam	post brevem syllabam per consonam exeuntem	post diphthongum correptam	in crasi	ostendit vim digammi	digamma neque desiderat neque respuit	digammo obstat	legitur apud Pindarum
(ϝ)ελπίς	—	1	2	—	6	6	3	—	—	—	3	12	3	18
ἔλπομαι	—	—	—	—	2	2	3	1	—	—	—	4	4	8
ἔλδομαι	—	—	—	—	1	—	—	—	—	—	—	1	—	1
ἄλπνιστος	—	—	—	—	—	—	—	1	—	—	—	—	1	1
	—	1	2	—	9	8	6	2	—	—	3	17	8	28
(ϝ)έπος	3	—	2	1	3	11	8	2	—	—	6	14	10	30
(ϝ)ειπεῖν	1	—	6	—	7	2	4	8	—	—	7	9	12	28
ὀμφά	—	—	—	—	—	—	1	2	—	—	—	—	3	3
ὄσσα	—	—	—	—	—	—	—	—	1	—	—	—	1	1
ὄψ	—	—	—	—	3	2	—	1	—	—	—	5	1	6
	4	—	8	1	13	15	13	13	1	—	13	28	27	68
(ϝ)ερέω	2	—	—	—	3	—	1	2	—	—	2	3	3	8
(ϝ)έργον	—	—	7	—	14	5	6	15	—	—	7	19	21	47
(ϝ)εργάζομαι	—	—	1	—	—	—	—	—	—	—	1	—	—	1
ἐργασία	—	—	—	—	—	—	—	1	—	—	—	—	1	1
ἐργάτις	—	—	—	—	—	—	1	—	—	—	—	—	1	1
Ἐργοτέλης	—	—	—	—	—	—	1	—	—	—	—	—	1	1
(ϝ)έρδω	—	—	1	—	—	1	1	6	—	—	1	1	7	9
(ϝ)έργμα	—	1	—	—	2	1	3	2	—	—	1	3	5	9
	—	1	9	—	16	7	12	24	—	—	10	23	36	69
(ϝ)εσθάς	—	—	—	1	—	—	—	1	—	—	1	—	1	2
εἷμα	—	—	—	—	—	1	—	—	—	—	—	1	—	1
ἕννυμι	—	—	—	—	—	—	—	1	—	—	—	—	1	1
	—	—	—	1	—	1	—	2	—	—	1	1	2	4
(ϝ)εσπέρα	—	—	1	—	2	—	—	1	—	—	1	2	1	4
ἑσπέριος	—	—	—	—	2	—	—	—	—	—	—	2	—	2
ἕσπερος	—	—	—	—	—	—	1	—	—	—	—	—	1	1
	—	—	1	—	4	—	1	1	—	—	1	4	2	7
(ϝ)έτος	1	—	1	—	—	2	—	—	—	—	2	2	—	4
ἔτειος	—	—	—	—	—	—	—	1	—	—	—	—	1	1
	1	—	1	—	—	2	—	1	—	—	2	2	1	5

Vox, quæ est	Producit diphthongum vel longam vocalem		Prohibet hiatum post brevem arsim	Producit syllabam brevem per consonam exeuntem	Legitur		Legitur				In summa			
	in thesi	in arsi			in initio versus	post longam syllabam per consonam exeuntem	post vocem elisam	post brevem syllabam per consonam exeuntem	post diphthongum correptam	in crasi	ostendit vim digammi	digamma neque desiderat neque respuit	digammo obstat	legitur apud Pindarum
(ϝ)οἶδα	—	1	2	—	11	3	1	2	—	—	3	14	3	20
(ϝ)ἴσαμι	—	—	1	—	—	—	—	2	—	—	1	—	2	3
(ϝ)ἶδον	1	—	3	—	3	4	2	14	—	—	4	7	16	27
(ϝ)εἴδομαι	—	—	1	—	—	—	—	—	—	—	1	—	—	1
(ϝ)εἶδος	—	—	1	—	1	—	—	2	—	—	1	1	2	4
εἴδωλον	—	—	—	—	—	—	—	1	—	—	—	—	1	1
ἰδέα	—	—	—	—	1	—	—	—	—	—	—	1	—	1
(ϝ)ἴδρις	—	—	1	—	—	—	—	—	—	—	1	—	—	1
	1	1	9	—	16	7	3	21	—	—	11	23	24	58
(ϝ)ἔοικα	—	—	1	—	1	4	4	5	—	—	1	5	9	15
ἴκελος	—	—	—	—	—	1	—	—	—	—	—	1	—	1
	—	—	1	—	1	5	4	5	—	—	1	6	9	16
(ϝ)οἶκος	—	—	3	—	7	6	2	11	—	—	3	13	13	29
οἰκεῖος	—	—	—	—	—	—	1	2	—	—	—	—	3	3
οἰκεῖν	—	—	—	—	1	1	1	6	1	—	—	2	8	10
οἴκημα	—	—	—	—	—	—	—	1	—	—	—	—	1	1
οἰκούριος	—	—	—	—	—	1	—	—	—	—	—	1	—	1
οἰκιστήρ	—	—	—	—	—	—	—	2	—	—	—	—	2	2
	—	—	3	—	8	8	4	22	1	—	3	16	27	46
ἴον	—	—	—	—	2	—	—	—	—	—	—	2	—	2
ἰοδέτας	—	—	—	—	1	—	—	—	—	—	—	1	—	1
ἰοπλόκαμος	—	—	—	—	—	—	—	—	1	—	—	—	1	1
(ϝ)ιόπλοκος	—	—	2	—	—	—	—	—	—	—	2	—	—	2
ἰοστέφανος	—	—	—	—	—	—	—	—	1	—	—	—	1	1
(ϝ)ιόλαος	4	—	—	—	—	2	1	—	—	—	4	2	1	7
	4	—	2	—	3	2	1	—	2	—	6	5	3	14
(ϝ)ἶσος	2	—	2	—	3	2	—	2	—	—	4	5	2	11
ἰσόδενδρος	—	—	—	—	1	—	—	—	—	—	—	1	—	1
ἰσώνυμος	—	—	—	—	1	—	—	—	—	—	—	1	—	1
	2	—	2	—	5	2	—	2	—	—	4	7	2	13
Summa	18	3	45	2	90	72	48	109	4	2	68	162	163	393

II. Tabula vocum a $\sigma\digamma$ olim incipientium.

Vox, quæ est	Producit diphthongum vel longam vocalem		Prohibet hiatum post brevem arsim	Producit syllabam brevem per consonam exeuntem	Legitur		Legitur				In summa			
	in thesi	in arsi			in initio versus	post longam syllabam per consonam exeuntem	post vocem elisam	post brevem syllabam per consonam exeuntem	post diphthongum correptam	in crasi	ostendit vim digammi	digamma neque desiderat neque respuit	digammo obstat	legitur apud Pindarum
(ϝ)ανδάνω	1	1	2	—	—	3	—	2	—	—	4	3	2	9
ἄσμενος	—	—	—	—	—	—	—	1	—	—	—	—	1	1
ἔθνον	—	—	—	—	—	1	—	1	—	—	—	1	1	2
ἑδιής	—	—	—	—	—	2	—	5	—	—	—	2	5	7
ἀδύγλωσσος	—	—	—	—	1	—	—	—	—	—	—	1	—	1
ἄδυεπής	—	—	—	—	—	—	1	2	—	—	—	—	3	3
ἀδύλογος	—	—	—	—	—	—	—	1	—	—	—	—	1	1
ἀδυμελής	—	—	—	—	2	—	—	3	—	—	—	2	3	5
ἀδύπνοος	—	—	—	—	1	—	1	—	—	—	—	1	1	2
	1	1	2	—	4	6	2	15	—	—	4	10	17	31
ϝοῖ	4	2	49	2	—	1	—	—	—	—	57	1	—	58
ἓ	—	—	—	—	1	1	—	—	—	—	—	2	—	2
(ϝ)ίν	—	—	1	—	—	—	—	—	—	—	1	—	—	1
(ϝ)ός	—	—	2	—	3	—	—	—	1	—	2	3	1	6
(ϝ)ίδιος	—	—	1	—	1	1	—	—	—	—	1	2	—	3
ἕκαστος	—	—	—	—	2	1	6	4	—	—	—	3	10	13
ἑκάτερος	—	—	—	—	—	1	—	—	—	—	—	1	—	1
ἑκατέρωθι	—	—	—	—	1	—	—	—	—	—	—	1	—	1
ἑκάς	—	—	—	—	—	1	—	1	—	—	—	1	1	2
ἑκάεργος	—	—	—	—	—	1	—	—	—	—	—	1	—	1
ἑκαταβόλος	—	—	—	—	—	1	1	—	—	—	—	1	1	2
ἕκαθεν	—	—	—	—	1	—	—	—	—	—	—	1	—	1
εἰ	—	—	—	—	44	5	9	20	3	1	—	49	33	82
	4	2	53	2	53	13	16	25	4	1	61	66	46	173
(ϝ)ῆθος	—	—	1	—	1	—	—	2	—	—	1	1	2	4
ἠθαῖος	—	—	—	—	—	—	—	1	—	—	—	—	1	1
	—	—	1	—	1	—	—	3	—	—	1	1	3	5
Summa	5	3	56	2	58	19	18	43	4	1	66	77	66	209

III. Tabula vocum a ϝϱ olim incipientium.

Vox, quæ est	Producit in thesi syllabam per brevem vocalem exeuntem	Legitur		Legitur post syllabam per brevem vocalem exeuntem	In summa			
		in initio versus	post syllabam aut longam aut brevem et per consonam exeuntem		ostendit vim digammi	digamma neque desiderat neque respuit	digammo obstat	legitur apud Pindarum
ϝϱήγνυμι	1	—	—	—	1	—	—	1
ϝϱηγμίς	1	—	—	—	1	—	—	1
	2	—	—	—	2	—	—	2
ϝϱιγέω	1	—	—	—	1	—	—	1
(ϝ)ϱίπτω	1	—	2	1	1	2	1	4
(ϝ)ϱιπά	1	2	3	2	1	5	2	8
ὀίμφα	—	1	—	—	—	1	—	1
ὀιμφάϱματος	—	—	1	—	—	1	—	1
ὀιψαύχην	—	1	—	—	—	1	—	1
	2	4	6	3	2	10	3	15
Summa	5	4	6	3	5	10	3	18

Si igitur omnes has stirpes complectimur, digamma vim suam ostendit *centies undequadragies*, neque desideratur neque respuitur *ducenties undequinquagies*, non accipitur *ducenties tricies bis.*

Si ab his numeris proficiscentes inter digammi usum Homeri et Pindari comparationem instituimus, mox apparet magnum inter eos intercedere discrimen. Apud Pindarum vim digammi valde esse imminutam ex tribus præcipue rationibus apparet. Primum enim in iis stirpibus, quas etiam in carminibus Pindaricis digammo interdum ornatas videmus, numerus locorum, ubi evanuit digamma, multo major est quam eorum, ubi vicibus consonæ est functum; apud Homerum autem digamma omissum est sexcenties decies septies, servatum ter milies trecenties quinquagies quater (Hartel III: 70).

Deinde digamma Pindaricum syllabam brevem et per consonam exeuntem in arsi numquam positione producit, quod apud Homerum ante pronomen personale *ϝοι* interdum fieri scimus. Brevis vocalis apud Pindarum ante *ϝϱ* in thesi quinquies producitur (*ἐπὶ ϝϱηγμῖνι* est etiam apud Homerum); num autem digamma apud Pindarum ad syllabam brevem et per consonam exeuntem in thesi producendam valuerit, inter omnes non constat. Hartel (III: 81), G. Meyer § 239, al. hanc productionem non agnoscunt, et confitendum est quattuor illa exempla (ante *ϝοῖ* Ol. 2: 42, N. 10: 15, ante *ϝέπος* I. 5: 42, ante *ϝεσθάς* P. 4: 253; fortasse addi potest Ol. 9: 76 *Θέτιος ϝῖνις*), de quibus nunc est

quæstio, quamvis sint verisimilia, non prorsus certa esse. — Ante digamma longæ servantur diphthongi et longæ vocales in arsi sexies solum (apud Homerum centies sexagies quater): P. 1: 29, N. 10: 29, I. 1: 23, 2: 43, in anacrusi P. 2: 83, N. 4: 43: in thesi sæpius (ter et vicies; apud Homerum quingenties septies). Animadvertendum est et in thesi et in arsi sæpius diphthongos (*αι* quinquies, *ῳ* quinquies, *ευ* quater, *ει* quater, *οι* quater, *ου* bis, *ᾳ* semel) quam longas vocales (*η* bis, *ω* bis) ante digamma produci. Ex his undetriginta exemplis apud Homerum ipsum exstant *οὔ ϝοι*, *ἐπεί ϝοι*, *εὖ ϝοἰδ'*, *ἐπεὶ ϝίδον*, *εὖ ϝείπῃ*, *τοι ϝερέω* et in hymno Apoll. Pyth. *ὦ ϝάνα*. Cum Pindarico *ἐνάτῳ ϝέτει* comparari potest Homericum *ὀγδοάτῳ ϝέτει*. — Centies semel autem digammi vi hiatus post brevem vocalem tollitur. Duodeviginti horum exemplorum apud Homerum leguntur: *τε ϝάναξ*, *δέ ϝοι*, *τέ ϝοι*, *ἀλλά ϝοι*, *ἔνθα ϝοι*, *ῥά ϝοι*, *ἄρα ϝοι*, *ἐπί ϝοι*, *ἔτι ϝοι*, *ἵνα ϝοι*, *τι ϝέπος*, *μέγα ϝειπεῖν*, *τόσα ϝεῖπες*, *σάφα ϝειπεῖν*, *ἄρα ϝεῖπε*, *μέγα ϝέργον*, *τε ϝιδών*, *ἐπὶ ϝίσα*.

Tertium inter Homerum et Pindarum interest, quod multis in stirpibus, quas apud Homerum a digammo incepisse constat, hæc litera initialis plane evanuit. Ex duobus et quinquaginta thematis, de quibus Knös pp. 50—146 verba fecit, quæ in fronte digamma habuisse constat, viginti unum (*εἰλύω*, *ἕλδομαι*, *ἕλκω*, *ἕλκος*, *ἕλος*, *ἐμέω*, *ἔριον*, *ἔρσαι*, *ἧλος*, *ἵκω*, *ἴρηξ*, *ἱστία*, *ὠθέω*, *ὄρομαι*, *ὀργή*, *Ὀρινγίη*, *οὐτάω*, *οὐλή*, *οὐρανός*, *ὄχος*, *ὦνος*) ne apud Homerum quidem certa digammi vestigia ostendunt; ex quibus in Pindari carminibus non leguntur *ἐμέω*, *ἔριον*, *ἴρηξ*, *οὐτάω*, *οὐλή*, *ὦνος*; etiam *ἔρσαι* deest, quum Pindarus semper figuram vocali prothetica auctam *ἐ—ερσα* (N. 3: 78, 7: 79, 8: 40) usurpet (ne apud Homerum quidem *ἔρσαι* certum est). De *ἕλδομαι* vide supra pag. 20, de *ἑστία* pp. 65, 66, de *ὀργά* pp. 75, 76. Cetera undecim themata quomodo apud Pindarum occurrant, ex hac tabula apparebit.

Vox, quæ est	legitur in initio versus	legitur post syllabam longam et per consonam exeuntem	legitur post syllabam aut elisam aut brevem et per consonam exeuntem (ut digammo obstet).
Ἀλεύας (*εἰλύω*) (cfr. Curt. Grundz. p. 360)	P. 10: 5.		
ἕλκω			P. 2: 90, N. 4: 35, 94, 11: 32.
ἑλκύω			N. 7: 103.
ἕλκος	N. 8: 29, P. 3: 48.	P. 4: 271.	P. 1: 52, 2: 91, Fr. VII: 7: 1.
Ἅλις (*ἕλος*)			Ol. 1: 78, 9: 7, 10: 33.
ἅλος			P. 4: 71.
ἵκω	Ol. 5: 9, 6: 64, P. 4: 79, 95, 5: 70, 11: 32, N. 1: 53, 3: 3, 10: 14.	Ol. 1: 10, 6: 48, 10: 93, P. 4: 105, 118, N. 7: 37.	Ol. 4: 10, 6: 24, 10: 66, 87, P. 4: 126, 9: 51, N. 5: 50, 9: 21, I. 3: 50.

Vox, quæ est	legitur in initio versus	legitur post syllabam longam et per consonam exeuntem	legitur post syllabam aut elisam aut brevem et per consonam exeuntem (ut digammo obstet)
ἰκάνω			Ol. 3: 43.
ἱκετεύω		Fr. VII: 4: 6.	
ἱκέτας	Ol. 5: 19, N. 8: 13.		
ὠθέω	Fr. XI: 44: 3.		
ὁράω (ὄρομαι)			Ol. 7: 65, 9: 111, P. 2: 34, 10: 36.
οὖρος		I. 7: 55.	
Ὀρτυγία			Ol. 6: 92, P. 2: 6, N. 1: 2.
οὐρανός	Ol. 7: 40.	P. 4: 289, N. 4: 67, 5: 34, I. 5: 41.	Ol. 14: 10, P. 10: 27, N. 3: 10, 6: 4, 10: 58, 88, I. 6: 45, Fr. XI: 189: 2.
οὐράνιος		Fr. IX: 1: 3.	Ol. 11: 2, P. 1: 19, 3: 75, Fr. II: 2: 1.
Οὐρανίδας	P. 3: 4.		P. 2: 38, 4: 194.
ὄχος	Ol. 4: 11, P. 9: 11.		
ὄχχος			Ol. 6: 24.
ὀχέω			P. 2: 79.
ὀχχέω			Ol. 2: 67.
ὄχημα		Fr. VII: 3: 6, IX: 3: 1.	
ὀχετός		Ol. 5: 12, 10: 37.	
ὄχλος			P. 4: 85.
ὄχθος		P. 9: 55, N. 11: 25.	Ol. 9: 3.
ὄχθα	P. 1: 64.		P. 1: 18, 4: 46, 12: 2, N. 9: 22, I. 4: 38.

Sunt igitur unum et triginta themata, quæ digamma initiale in carminibus Homericis prodant; ex his sedecim (*ἄναξ*, *ἀάχω*, *εἴκοσι*, *Ἰλιάδας*, *ἑκών*, *ἐλπίς*, *ἔπος*, *ἐρέω*, *ἔργον*, *εἷμα*, *ἑσπέρος*, *ἔτος*, *οἶδα*, *ἴον*, *ἶσος*, *οἶκος*) etiam apud Pindarum nonnumquam digamma servasse jam supra ostendimus; etiam de *ἑκάς*, *ἕκαστος*, *ἷς* supra verba fecimus. Ex duodecim, quæ restant, apud Pindarum non leguntur *ἄρνες*, *ἔρρω*, *ἶρις*, *ἶνις*; de *εἶκω* vide p. 39. Cetera quomodo apud Pindarum legantur, ex hac tabula apparebit.

Vox, quæ est	legitur in versus initio	legitur post syllabam longam et per consonam exeuntem	digammo obstat
ἀγά(?)			P. 2: 82.
ἀατά (?)			Ol. 7: 34, P. 1: 79, 4: 36, 11: 21, N. 9: 40, I. 2: 42, Fr. XI: 136: 3.
ἄστυ	Ol. 7: 80, 9: 42, P. 4: 15, N. 10: 42.	P. 4: 260.	Ol. 13: 59, P. 5: 52, N. 4: 23 10: 5, I. 5: 69, Fr. IV: 3: 3 XI: 115: 1.
ἀστός	P. 1: 84, N. 8: 14, I. 6: 29.	Ol. 6: 7, P. 4: 78, I. 2: 37, 3: 3.	Ol. 5: 14, 7: 94, 13: 2, P. 1: 68, 2: 82, 3: 71, 4: 297, 7: 10, 9: 93, N. 8: 38, 11: 17, I. 3: 79, Fr. XI: 125: 1.
Ἀστυδάμεια			Ol. 7: 25.
ἀστύνομος			N. 9: 31.
ἔαρ (ἦρ)			P. 4: 64, Fr. IV: 3: 14.
ἠρινός		P. 9: 46.	
ἐαρίδρεπτος			Fr. IV: 3: 7.
ἑλίσσω	I. 7: 15.	Ol. 4: 2.	Ol. 10: 9, N. 6: 55.
ἑλικῶπις			P. 6: 1.
ἑλικάμπυξ		Fr. IV: 3: 18.	
ἑλικοβλέφαρος		Fr. IX: 2: 5.	P. 4: 172.
ἑλελίζω (?)		P. 1: 4, N. 9: 19.	Ol. 9: 13.
ἑλελίχθων (?)		P. 2: 4.	P. 6: 50.
εἴργω	Ol. 13: 58, N. 7: 6.		
ἕρκος		N. 10: 36.	P. 2: 80, 5: 106, N. 3: 51.
ἑρύω			N. 7: 67, 9: 23.
ἑρύκω	Ol. 10: 5.	N. 4: 33.	
οἶνος			Ol. 9: 48, Fr. XI: 44: 1.
οἰνοδόκος	I. 5: 40.		
οἰνηρός			N. 10: 43.
οἰνάνθα			N. 5: 6.

Si Knösium sequentes etiam longius comparationem, quam inter Homerum et Pindarum instituimus, persequi volumus, apparet in carminibus Pindaricis nullum palatalis spirantis inveniri vestigium. ἔοικα enim non a *j* sed a digammo incepisse titulo illo Cyprio reperto adducimur ut credamus; ἰωκή non legitur apud Pindarum; neque in verbo ἵημι neque in stirpe relativi pronominis

(quæ utrum a palatali an labiali spirante inceperit, inter se dissentiunt viri docti) ullum consonæ initialis vestigium comparet, nedum in iis vocibus, quas apud Homerum ipsum consonam initialem amisisse constat (quæ sunt apud Pindarum *ἁγνός, ἦβα, ἀντία, ἀντίοχος, ὑμεῖς, ὑμός, ὑμέτερος, ὥρα, ὥριος, ὡραῖος.*[1] Ex iis vocibus, quas enumerat Knös in tertio capite (pp. 171—195) quæque dubia utuntur consona initiali, Pindarus has solas usurpat: *αἰρέω* (*εἷλον*), *ἅπτω, ἔθειρα, εἴρω* (*necto*), *Ἥρα, Ἡρακλέης, Ἡρακλείδας, Ἡράκλειος, Ἶλος,* (*ἀν*)*οίγω, εὖδω, ἅλιξ, ἁλικία, ὄαρος, ὀρθός. ὄρθιος, ὀρθόβουλος, ὀρθοδίκας, ὀρθόμαντις, ὀρθόπολις, ὀρθόω, ὀρθωτήρ, οὖλιος, οὖρος* (ventus). Sed hæ voces consonam initialem apud Pindarum numquam desiderant, sæpissime prorsus respuunt. De *ἔθνος* vide pp. 66, 67, de *ἐρέω* (*quæro*) pp. 26, 27.

In vocibus olim a *σϝ* incipientibus minus interest inter Homerum et Pindarum. In thematis, quæ sunt *σϝαδ, σϝε, σϝεθ*, Pindarum ipsum labialem spirantem appellasse supra ostendimus; præcipue annotandum est, Pindaricum *ϝίδιος* in carminibus Homeri nullum certum prodere digammi vestigium. — In carminibus Pindaricis non leguntur voces, quæ sunt *ἑκυρός, ἕνεκα, ἰδίω.* Nomen proprium, quod est *Ἑλένη,* cujus digamma non est certum apud Homerum, apud Pindarum a vocali incepisse apparet ex Ol. 3: 1, P. 5: 78, 11: 33; primam versus sedem obtinet Ol. 13: 57, I. 7: 52. *Ἑλένοιο* excipit longam syllabam per consonam exeuntem N. 3: 63. — Vocabulum numerale *ἕξ*, cujus digammi vestigia in carminibus Homeri non prorsus deesse auctor est Knös p. 220, apud Pindarum digamma neque desiderat neque respuit (in fronte versus legitur I. 1: 9, post longam syllabam Ol. 1: 89, 5: 5) Eodem modo nihil demonstrant *ἑξέτης* N. 3: 49, *ἑκκαίδεκ'* N. 11: 19, *ἕκτος* Ol. 8: 76; non tolerant digamma *ἕκτος* P. 4: 132, *ἑξάκις* Ol. 7: 90, *ἑξηκοντάκι* Ol. 13: 95. — *ἑταῖρος, ἑταίρα* (*ἕταρος, ἑτάρα*), quorum digamma apud Homerum non confirmant certa indicia, apud Pindarum consonæ initiali prorsus repugnant Ol. 9: 4, P. 3: 18, 4: 239, 5: 24, 9: 19, N. 11: 4; nullius momenti sunt Ol. 6: 87, I. 6: 11, Fr. XI: 128.

Conjunctiones consonarum, quales sunt *δϝ, λϝ, κϝ, ιϝ*, quarum *δϝ* et *λϝ* in versu Homerico vim suam prodidisse contendit Knös, a Pindari versibus alienæ sunt. Conjunctionem autem consonarum, quæ sunt *ϝρ*, in tribus stirpibus (*ϝραγ ϝριγ ϝριπ*) etiam in versu Pindarico exstitisse supra demonstravimus. Si ce-

[1] Omnino num vis palatalis spirantis in rationibus metricis appareat, valde dubitari potest; cfr. G. Meyer. Gr. Gr. § 217.

teras voces, quas olim a ϝρ incepisse constat, inspicimus, apud Pindarum non leguntur ῥάχος, Ῥήνη, ῥυμός; de ῥέζω vide p. 30, de ῥέπω p. 64, de ῥηθείς pp. 25, 26. Ῥαδάμανθυς digamma non tolerat Ol. 2: 75, P. 2: 73; eodem modo ῥᾴτερον Ol. 8: 60, ῥίζα Ol. 2: 46, I. 7: 55; ῥίζα et ῥᾴδιον in initio versus leguntur P. 9: 8, P. 4: 272. Antecedit syllaba longa P. 4: 15. — ῥινός sequitur præpositionem ἐν I. 5: 37. — ῥόδον bis legitur: Fr. IV: 3: 16 φόβαι, ῥόδα et I. 3: 36 ἄνθησεν ῥόδοις, ubi tamen Mommsen ἄνθησε ϝρόδοις conjicit. — Inter voces ab ρ incipientes, quæ utrum alteram consonam olim in fronte habuerint necne ambiguum videtur (vide Knös. pp. 308—315), apud Pindarum non leguntur ῥῆγος, Ῥῆσος, ῥήσσω (*pulso*), ῥίς, ῥίον, Ῥοδίος, ῥόθιος, ῥοῖζος, ῥοχθέω, ῥύπος, Ῥύπιον, ῥώψ. De ῥάβδος supra verba feci (p. 64), item de ῥόμβος (ῥύμβος), quod non est apud Homerum. — Post syllabam aut per consonam aut per longam vocalem exeuntem leguntur Ῥέα Ol. 2: 12, 77, N. 11: 1, Fr. XI: 5, ῥύοντο I. 7: 53; in initio versus ῥαπτός N. 2: 2, ῥυσίπυργος I. 2: 21. P. 12: 19 est ἐρρύσατο, geminata liquida, quo fit credibile, stirpem olim ante ρ alteram consonam habuisse; hanc autem σ fuisse, Knös p. 313 opinatur; Curtius et G. Meyer malunt digamma. — ῥαίω semel legitur Fr. VII: 7: 3, ubi Christ scribit ἐῤῥαίσθη, Mommsen ἐῤῥαίσθη, duplicata litera canina. — His vocabulis enumeratis apud Pindarum quattuor solæ voces restant, quæ ab ρ incipiunt:

1) Ῥόδος, cujus originem non cognovi; Ῥόδος legitur post πελάγει Ol. 7: 59, post ἑπτά Ol. 7: 75, post δέ Fr. VIII: 2: 1, in initio versus Ol. 7: 15.

2) ῥά, quam vocem a particula ἄρα per aphæresim ortam esse inter omnes constare videtur (cfr. Knös. p. 315, Meyer. Gr. Gr. § 164 not.) Voce ῥά apud Pindarum excipiuntur τόν Fr. IX: 5: 1, particula καί P. 3: 45, 4: 189, particula ἤ P. 4: 57, 9: 37, 11: 38, I. 6: 3.

3) ῥαίνω, quod Curtius Grundz. p. 228 e rad ἀρδ per metathesim ortum esse, G. Meyer (§ 163), Joh. Schmidtium secutus, a ϝρ olim incepisse contendit; e ῥανθεῖσαν P. 5: 94, quod in initio versus legitur, βάλλω, ῥαίνω P. 8: 57, νᾶσον ῥαινέμεν I. 5: 21 nihil elucet; I. 7: 50 μέλανί ῥαίνων digamma non tolerat.

4) ῥέω (ῥόος, ῥοά, ῥέεθρον), quod a σρ incepisse constat. Antecedunt syllabæ per brevem vocalem exeuntes Ol. 5: 18, 9: 18, P. 1: 22, N. 7: 62; nullius momenti sunt Ol. 2: 33, 10: 10, 13: 35, N. 3: 25, 7: 12, 11: 36, 46, 9: 9, I. 1: 25, 4: 29, 6: 19. Geminata est liquida in κατερρύη Fr. XI: 61: 2,

simplex autem in *αὐτόρνιος* P. 12: 17, *ἀμφίρυτος* I. 1: 7, *καλλίροος* Ol. 6: 83, I. 7: 19, quamquam P. 12: 17, I. 1: 7, Ol. 6: 83 in multis codicibus est *ρρ*.

Priusquam finem faciam, etiam de digammo intermedio brevissime est disputandum.

Digamma enim non solum in fronte vocum sed etiam in media voce olim positum esse, satis constat. Hujus digammi media in voce olim pronuntiati testimonia sunt voces junctæ (ut *ἄ-ιστος*, *ἄ-ιδρις*), figuræ verborum augmento ornatæ (*εἰργασάμαν* pro *ἐ-ϝεργασαμαν*, *ἔρριψε* pro *ἐ-ϝριψε*), voces prothetica vocali instructæ (*ἔ-ερσα*, *ἐ-ειδόμενος*); deinde hodie nemo est, qui neget e. gr. *Διός*, *Αἴας*, *ξένος* olim pronuntiata esse *Διϝός*, *Αἴϝας*, *ξένϝος*, ut etiamnunc in titulis legimus (v. Tud. pp. 29, 34, 35). Quo autem tempore digamma e mediis vocibus evanuerit, difficillimum est ad dijudicandum; id tantum statuere licet digamma in omnibus Græcæ linguæ dialectis citius ex mediis vocibus quam ex vocum initio evanuisse; certe multo plura exstare in titulis exempla digammi in fronte vocum quam media in voce servati et multo plura in media voce quam in fronte omissi, ex libro Tudeeri apparet. Ex media voce digamma Pindari ætate in omnibus dialectis prorsus evanuisse non affirmaverim, sed in carminibus poetæ, ubi non nisi rationibus metricis ad digamma statuendum adducamur, ut digamma intermedium appellatum esse demonstremus, fieri non potest. Utrum Pindarus *Διός* an *Διϝός* dixerit, e rebus metricis numquam elucebit. Neque tamen desunt, qui etiam medias voces digammo instruxerint; quod factum esse in Homericorum carminum editionibus Payne Knightii et van Gentii, auctores sunt Leskien p. 6, Knös p. 13 (ipse has editiones non vidi). Bekker ipse scribit *καλλιϝάνασσα*, *ἐϝείκοσι*, *ἐϝαδώς*, *ἔσϝιδεν*, *προϝέρυσσε* al. Inter editores Pindari Mommsen (Suppl. p. 181) "omnino", inquit, "digammi in media voce collocandi parcissimus fui, quia hujus novationis limites non facile reperiuntur. Non scripsi *κλέϝος*, *ναϝῶν*, *βοϝῶν*, *ἄϝισος*, *ἄϝιδρις*, *ἐκάϝεργος*, sed tria tantum *ἀϝάταν*, *εὐϝαχέα*, *κλαϝῖδας* invehere ausus sum, ubi in ipsa codicum traditione antiquæ scripturæ vestigia superesse videbantur." Sed quænam fuerint hæc vestigia P. 8: 4, ubi est in diæresi *κλαῖδας* (apud Mommsenum *κλαϝῖδας*), quod tamen in codicibus multis modis est deformatum, non facile intelligitur. Et quæritur, cur Mommsen non eodem modo P. 9: 39 *κλαϝίδες*, P. 1: 8 *κλάϝισιρον* scripserit. — P. 2: 14 duæ sunt lectiones, *εὐαχέα* et *εὐανχέα*; utrique subveniunt scholiastæ, alter interpretans *ὕμνον εὐηχῆ καὶ εὔρυθμον*, alter *ᾧ' ᾧ ἐστιν αὐχεῖν*. Boeckh (not. crit. p. 442) "*εὐαν-*

χής", inquit, "sane nihili vox est; si quid video, primitiva lectio fuit εὐναχής, hoc est εὐϝαχής: nam ἠχώ sive ἀχώ habuit digamma." Contra Boeckhium tamen hæc animadverti possunt. Primum non est credibile, primariam formam fuisse εὐναχής, nam digammi post ν in ν immutati nullum exstat exemplum. In archetypo igitur potest fuisse εὐϝαχής, non εὐναχής; ex εὐϝαχής autem errore librarii nasci potuisse εὐαυχής nemo credo contendet. Deinde non est necesse, digamma ad ϝαχώ spectare statuamus. Sæpe enim post diphthongum per ν exeuntem ϝ quoddam spurium ortum esse aut sonum crassiorem esse appellatum, quem literis νϝ exprimere conarentur lapicidæ, ex titulis non pauca licet sumere testimonia. Vide Tud. pp. 8, 9. Sed omnino dubitationem movet, quod in vocibus, quæ sunt εὐειδής, εὐεργεσία, εὐεργέτας al., quamquam stirpes ϝιδ et ϝεργ pluribus locis, quam ϝαχ, consonam initialem servarunt, ne minimum quidem digammi testimonium apud Pindarum traditum est; quo fit, ut nihil demonstretur illo εὐαυχέα, quod fortasse inde ortum est, quod librarii mensuram vocis εὐᾱχής, quam primus, quantum scio, usurpavit Pindarus, ignorabant. — Venimus nunc ad αὐάταν P. 2: 28, 3: 24. Mommsen utroque loco ἀϝάταν scribit in editione majore, in minore autem ἀυάταν. Nihil moror, in omnibus codicibus spiritum supra α scriptum esse; de qua re vide Ahr. I: 39, Hartel. III: 25; aliter Boeckh not. crit. p. 443. Multo magis interest, utroque loco diphthongum correptam esse, qua correptione alteram diphthongi partem ν in sonum consonæ digammi transiisse re vera significari, Curtius jure suo contendit [1]; assentiri videtur Hinrichs p. 26. Etiamsi autem hic sonum consonæ appellatum esse concedimus, tamen non licet pro certo statuere digamma, non ν, scribendum esse. Quo signo usus sit Pindarus ipse, nescio an numquam ad liquidum perduci possit. Tota hæc quæstio in scribendi arte, quam orthographiam vocamus, versatur; in ejusmodi autem rebus ea, quæ ab antiquis traduntur, non semper sibi constare Hartel (III: 23) ostendit. Apud Homerum scribuntur αὐίαχοι (apud Hesychium αὐιδέτου· ἀφανοῦς, ἀοράτου) sed ἄ(ϝ)ϊδος, ἀπούρας sed ἀπῶ (ϝ)έρσῃ, non ἀπουέρσῃ. Neque intelligo, quid prohibeat, quominus eandem scribendi inconstantiam, qua in longis syllabis nunc αυ nunc ᾱ(ϝ) scribitur, etiam in brevibus statuamus, ut modo ᾰ(ϝ) modo ᾰ͡υ credamus scriptum esse, dummodo in codicibus ita traditum inveniamus. Diphthongi et in vocis fine et in media voce correptæ (i. e. semivocalis usurpatæ) non pauca sunt apud Pindarum exempla. Ut apud Ho-

[1] "Die correptio diphthongi ist dem Wesen nach Nichts andres als die Auflösung von αυ in αϝ." Curt. Grundz. p. 556.

merum propter ἄϊδος brevi pænultima sæpissime usurpatum nonnullis locis, ubi prima producta opus est, scribitur ἄϊδος, ita apud Pindarum ἀϋάτα scribi potuit propter ἀϋάτα aliis locis adhibitum. Et ἀϋάτα prima longa est apud Archilochum, Fr. 73, ubi cum Hartelio credo Schneidewinum, non Bergkium verum vidisse. — Omnino in hujusmodi quæstionibus nulla re nisi auctoritate codicum nitimur.

II.

De positione apud Pindarum.

Satis constat et Græcis et Romanis ad duas consonas appellandas tantum temporis spatium opus fuisse, ut syllabam antecedentem in versu pro longa haberent poetæ, etiamsi vocalis natura brevis esset. Sed ut omnino hanc legem nonnumquam quamvis raro apud poetas non servatam esse videmus, de qua re postea pauca faciemus verba, ita in præcipua quadam condicione versatur unus ordo consonarum conjunctionum; quum consonam mutam excipit consona liquida, positio fit debilis, quæ vocatur, qua syllaba antecedens nunc producitur, nunc correpta servatur. Jure autem Alexanderson p. 17 animadvertit hunc aut neglectum aut observatum positionis usum arbitrio soli poetarum non subjectum esse sed multa in natura et mutarum et liquidarum esse sita; deinde usum poetarum alium fuisse aliis temporibus et in aliis poesis generibus, ita ut Homerus syllabas sæpius produxisse, Attici in correptionem magis propensi dici possint, Pindarus autem, qui æqualis fere fuit Aeschyli sed dialectum poetarum epicorum maxime sequitur, locum quasi medium quodam modo obtineat. Quæ autem Pindaro aut cum Homero aut cum poetis Atticis communia sint, postea exponere conabimur; primum totam exemplorum silvam in medium proponemus. Omnia autem exempla, de quibus nunc agitur, in tria genera dividi possunt: aut et consonæ et vocalis antecedens in eadem voce sunt positæ, aut vocalis in fine vocis præmissæ, consonæ in initio vocis sequentis leguntur, aut vox prior per mutam exit, altera a liquida incipit. Primum quidem afferamus exempla, in quibus et consonæ et vocalis antecedens ejusdem sunt vocis:

Ante βλ producuntur in thesi ἀβλαβής Ol. 13: 26, P. 8: 54, βέβληται N. 1: 8, ἑλιχοβλέφαρος P. 4: 172, Fr. IX: 2: 5;

corripiuntur ἀποβλάπτει N. 7: 60, ἔβλασιεν N. 8: 7.

Ante γλ producuntur in thesi ἀγλαός Ol. 1: 91, 2: 73, 8: 11, 14: 7, P. 4: 82, N. 3: 69, 4: 20, 11: 4, 20, I. 1: 56, 5: 62, 7: 3, 27, Fr. IV: 3: 7, XI: 138: 2, ἀγλαΐα Ol. 9: 99, 13: 14, 14: 13, P: 1: 2, 6: 46, 10: 28, N. 1: 13, 9: 31, I. 2: 18, Fr. XI: 12: 1, 110: 2, ἀγλαΐζεται Ol. 1: 14, ἀγλαόγυιος N. 7: 4, ἀγλαόδενδρος Ol. 9: 20, ἀγλαόθρονος Ol. 13: 92, N. 10: 1, ἀγλαόκαρπος N. 3: 56, Fr. II: 2: 6, VII: 3: 5, ἀγλαόκουρος Ol. 13: 5, ἀγλαόκωμος Ol. 3: 6, Ἀγλαοτρίαινα Ol. 1: 40, φιλάγλαος P. 12: 1, ἄγλωσσος N. 8: 24, περίγλωσσος P. 1: 42, ἔκπαγλος P. 4: 79, N. 4: 27, I. 5: 54, 6: 22;

corripiuntur ἀδύγλωσσος Ol. 13: 96, ἐπιάγλωσσος N. 5: 24, εὐθύγλωσσος P. 2: 86.

Ante πλ producuntur in thesi ἁλίπλακτος P. 4: 14, ἀναπλέκοντι Ol. 2: 74, διαπλέκω P. 2: 82, 12: 8, N. 7: 99, θεμίπλεκτος N. 9: 52, ἐρασιπλόκαμος P. 4: 136, καλλιπλόκαμος Ol. 3: 1, ἰοπλόκαμος P. 1: 1, ἰόπλοκος Ol. 6: 30, I. 6: 23, λιπαροπλόκαμος Fr. V: 1: 1, ἄπεπλος N. 1: 50, καλλίπεπλος P. 3: 25, πέπλος P. 9: 120, χρυσόπεπλος I. 5: 75, ἅπλατος P. 1: 21, 12: 9, Fr. IX: 7: 3, ἅπλετος I. 3: 29, ἁπλόος N. 8: 36, διπλόος N. 5: 52, I. 3: 88, 4: 15, τριπλόος Ol. 9: 2, ἀποπλέων N. 7: 36, ἐνόπλια Ol. 13: 83, ὅπλοις P. 10: 14, ὁπλίτας I. 1: 20, ὑπέροπλος Ol. 1: 57, P. 6: 48, 9: 14, ὁπλότερος P. 6: 41, ὁπλότατος I. 5: 6, ἐρίπλευρος P. 4: 235, παρεπλάγχθη N. 10: 6, ἔπλετο P. 5: 105, περιπλανᾶται I. 5: 47;

producuntur in arsi ἀμπιπλάντες N. 10: 57, ὁπλαῖς P. 4: 226;

corripiuntur διπλόαν N. 10: 89, καλλίπλουτοι Ol. 13: 107, ὅπλα N. 1: 51, 7: 25, 8: 27, 10: 14, ὁπλόταται I. 7: 18, παρέπλαγξαν Ol. 7: 32, ἔπλετο P. 9: 109.

Ante κλ producuntur in thesi ἀγακλεής P. 9: 106, I. 1: 30, ἀκλεής Ol. 12: 15, Ἡρακλέης Ol. 2: 3, 6: 68, 7: 23, 9: 30, 10: 16, P. 5: 67, N. 1: 33, 4: 24, 10: 17, I. 5: 35, Ἰφικλέος I. 1: 26, Μεγάκλεες P. 7: 17, ὁμοκλέα Fr. VI: 9: 5, Χαρικλοῦς P. 4: 103, πολύκλειτος Ol. 6: 71, Fr. XI: 103: 4, δαιτικλυτός Ol. 8: 52, ναυσικλυτός N. 5: 9, Fr. I: 4: 1, κέκλεν I. 5: 53, κέκλυτε P. 4: 13, Περικλύμενος P. 4: 175, N. 9: 26, Ἄμυκλαι P. 1: 65, 11: 32, N. 11: 34, I. 6: 14, Δόρυκλος Ol. 10: 67, ἐρικλάγκτας P. 12: 21, εὔκυκλος N. 4: 66, κύκλος Ol. 9: 93, P. 4: 215, κατακλύζειν Ol. 9: 50, P. 4: 38, κατέκλασε P. 5: 32, κικλήσκων P. 4: 119, ὁμοκλαῖς I. 4: 24, ὁμόκλαρος N. 9: 5, ποτικεκλιμένον P. 1: 28;

producuntur in arsi Ἡρακλέης P. 9: 87, N. 10: 53, ἔκλαγξε P. 4: 23, κύκλος Ol. 10: 46, κεκλημένον P. 3: 67;
corripiuntur ἀκλάρωτον Ol. 7: 62, ἀπόκλαρος P. 5: 50, ἐκλάρωσεν Ol. 8: 15, δμόκλαρον Ol. 2: 49, καιακλύσσει Ol. 10: 10, κικλήσκοισιν Fr. V: 1: 4, κέκληνται Ol. 7: 80, Ἀριστοκλείδας N. 3: 15, 67, Καλλικλεῖ N. 4: 80, Ἡρακλέης Ol. 3: 11, 44, 10: 30, P. 11: 3, N. 3: 21, 7: 86, 10: 33, 11: 27, I. 4: 33, Fr. II: 1: 4, Ἡρακλειδᾶν P. 1: 63, Ἡράκλειος I. 3: 30, 6: 7, Ἱπποκλέας P. 10: 5, 57, Ἰφικλείδαν P. 11: 59, Ἰφικλέα P 9: 88, Νικοκλέης I. 7: 62, Θράσυκλος N. 10: 39, Πάτροκλος Ol. 9: 75, 10: 19, κυκλώσαις Ol. 10: 72.

Ante τλ *producuntur in thesi* Ἄτλας P. 4: 289, ἄτλατος Ol. 6: 38, N. 1: 48, φύτλας Ol. 9: 55, P. 9: 33;
producitur in arsi ἔτλαν I. 6: 37.

Ante φλ *producuntur in thesi* ἐπιφλέγειν Ol. 9: 22, P. 11: 45, τετύφλωται I. 4: 50, τετύφλωνται Ol. 12: 9;
producitur in arsi ἀντέφλεξε Ol. 3: 20;
corripiuntur ἀποφλαυρίξαισα P. 3: 12, τυφλός N. 7: 23.

Ante χλ *producuntur in thesi* ὄχλος P. 4: 85, κεχλάδοντας P. 4: 179, κεχλάδειν Fr. IV: 6: 3;
corripiuntur καχλάζοισαν Ol. 7: 2, κεχλαδώς Ol. 9: 2.

Ante θλ *producuntur in thesi* ἀεθληταῖς N. 10: 51, ἀεθλοφόρος N. 3: 83, 6: 23, ἄεθλον Ol. 1: 3, I. 4: 49, ἄεθλος Ol. 1: 84, 99, 2: 13, 4: 3, 5: 6, 6: 69, 13: 15, P. 3: 73, 4: 165, 220, 5: 49, 8: 26, 9: 70, 102, 10: 7, N. 2: 17, 19, I. 1: 44, 3: 1, 7: 5, Fr. I: 4: 8, πενταέθλος N. 7: 8, γενέθλιος Ol. 7: 73, 8: 16, 13: 101, P. 4: 167, θεμέθλοις P. 4: 16, 180;
corripiuntur ἄεθλον Ol. 6: 79, P. 10: 24, I. 1: 16, ἄεθλος Ol. 2: 43, 3: 21, 7: 84, 8: 1, 64, 14: 24, P. 4: 253, 9: 115, N. 1: 11, 4: 73, 6: 12, 10: 23, 11: 14, I. 1: 9, 3: 44, 85, 4: 6.

Ante γμ *producuntur in thesi* μεμιγμένον N. 3: 77, σιεναγμόν Fr. XI: 47: 4, φθέγμα P. 4: 198, 8: 31, Fr. XI: 87: 1, βεβρεγμένος Ol. 6: 55;
producuntur in arsi πυγμά Ol. 7: 17, 10: 67.

Ante δμ *producuntur in thesi* εὔοδμος Fr. IV: 3: 14, θεόδματος Ol. 3: 7, 6: 59, P. 1: 61, 9: 10, I. 5: 11, Fr. V: 1: 1, XI: 66: 1, νεόδματος I. 3: 80, Κάδμος Ol. 2: 78, Fr. II: 1: 2, 4: 2, Καδμεῖος P. 9: 83, N. 1: 51, 4: 21, 8: 51, I. 3: 71, Fr. IV: 3: 11, κεκαδμένος Ol. I: 27;

producuntur in arsi Ἄδματος P. 4: 126, ὀδμά Fr. X: 1: 6, Κάδμος Ol. 2: 23, P. 3: 88, 11: 1, I. 1: 9, 5: 75;
corripitur Κάδμος P. 8: 47.

Ante κμ *producuntur in thesi* ἀκμά P. 9: 81, N. 3: 39, I. 7: 37, ἄκμων P. 1: 86, ἀτέκμαρτος P. 10: 63, τέκμαρ P. 2: 49, N. 11: 44, Fr. XI: 43: 1;
producitur in arsi ἀκμά P. 1: 11;
corripiuntur ἀκμά Ol. 1: 48, 96, 2: 63, P. 4: 64, N. 4: 63, 6: 52, 10: 60, ἀτέκμαρτος Ol. 7: 47, τεκμαίρει Ol. 6: 73, N. 6: 8.

Ante τμ *producuntur in thesi* ἐφετμά Ol. 3: 11, P. 2: 21, 4: 233, I. 5: 18, πότμος Ol. 2: 18, 9: 60, N. 4: 42, 6: 6, 10: 57;
producuntur in arsi τέτμηνθ' I. 5: 22, πότμος N. 5: 40;
corripiuntur δολιχήρετμος Ol. 8: 20, ἐρετμόν P. 4: 18, πότμος Ol. 2: 36, 8: 15, P. 2: 56, 3: 86, 5: 3, N. 7: 6, I. 1: 34, ταχύποτμος Ol. 1: 66.

Ante χμ *producitur in thesi* λόχμα Ol. 10: 30;
producuntur in arsi λόχμα Ol. 6: 40, P. 4: 244.

Ante θμ *producuntur in thesi* ἀναρίθμητος Ol. 7: 26, ἀριθμῆσαι N. 10: 46, ἀριθμός Ol. 13: 44, N. 2: 23, βαθμίς N. 5: 1, σταθμός Ol. 5: 10, τέθμιος I. 5: 20, τεθμός Ol. 7: 92;
producuntur in arsi δυθμά I. 3: 83, πυθμήν Fr. XI: 120: 1, στάθμα P. 1: 62, Fr. I: 4: 5, σταθμός P. 4: 76, τεθμός Ol. 6: 69, 13: 28, P. 1: 64;
corripiuntur ἀνάριθμος I. 4: 45, ἀριθμός Ol. 2: 98, ἑξάριθμος Ol. 10: 25, βαθμίς P. 5: 7, στάθμα P. 2: 90, N. 6: 7, σταθμᾶτο Ol. 10: 45, σταθμός Ol. 10: 92, I. 6: 45, τέθμιος N. 11: 27, τεθμός Ol. 13: 39, N. 4: 33, 10: 33.

Ante γν *producuntur in thesi* ἁγνός Ol. 5: 10, P. 1: 21, 4: 103, 9: 64, I. 5: 74, Fr. X: 4: 5, XI: 22: 2, ἀγνώμων Ol. 8: 60, ἄγνωτος I. 3: 48, ἀνάγνωτε Ol. 10: 1, ἀνέγνον I. 2: 23, ἀρίγνωτος P. 4: 95, ἔγνωκε P. 4: 287, ἔγνωκας Fr. XI: 87: 1, ἔγνον P. 4: 120, ἔγνω Ol. 7: 87, ἐπέγνω P. 4: 279, πολύγνωτος N. 10: 37, δωδεκάγναμπτος Ol. 3: 33, πολύγναμπτος Ol. 3: 27, Θεόγνητος P. 8: 36, κασίγνητος Ol. 7: 28, P. 4: 124, N. 1: 36, 10: 50, 85, κασιγνήτα Ol. 13: 6, P. 3: 32, 12: 11, N. 1: 4, 11: 2, I. 5: 17, Μάγνης P. 4: 80, N. 5: 27, Μαγνῆτις P. 2: 45, μίγνυμι P. 2: 45, 5: 18, N. 4: 21, Fr. IV: 3: 16, X: 1: 7, XI: 83: 1;
producuntur in arsi ἁγνός Ol. 3: 21, 7: 63, P. 4: 204, Fr. II: 5: 1, ἄγνωστος Ol. 6: 67, ἀγνώς I. 2: 12, ἀριγνώς N. 5: 12, ἔγνον P. 9: 79, Μάγνης P. 3: 45.

Ante δν producuntur in thesi ἕδνον Ol. 9: 10, P. 3: 94, *κεδνός* I. 7: 23, *κίδναιαι* Fr. X: 1: 6;

producuntur in arsi Εὐάδνα Ol. 6: 30, 49, *κεδνός* Ol. 8: 80, P. 4: 117, 9: 122, I. 1: 4;

corripitur κεδνός P. 10: 72.

Ante πν producuntur in thesi ἀδύπνοος Ol. 13: 21, *εὐθύπνοος* N. 7: 29, *ἀπέπνευσ'* P. 4: 11, *ἀπέπνευσεν* N. 1: 47, *ἀπέπνευσας* I. 6: 34, *ἐνέπνευσεν* Ol. 8: 70, *ἀναπνέομεν* N. 7: 5, *ἐνύπνιον* Ol. 13: 76, *ὕπνος* I. 3: 41, *καπνός* P. 1: 22, I. 3: 84;

producitur in arsi καπνός N. 1: 24;

corripiuntur ἀδύπνοος I. 2: 25, *περιπνέοισιν* Ol. 2: 72, *Θεράπνα* P. 11: 63, N. 10: 56, I. 1: 27, *καπνός* Ol. 8: 36, N. 9: 23, *καπνωθεῖσαν* P. 5: 78, *ὕπνος* P. 9: 25.

Ante κν producuntur in thesi ἔκνισε P. 11: 23, I. 4: 52, *ἔκνιξεν* I. 5: 50, *ὑπέκνισε* P. 10: 60, *Κύκνεια* Ol. 10: 15, *πυκνός* Ol. 13: 50, I. 6: 8, *τέκνον* N. 7: 2, Fr. XI: 54: 1, *ἐτέκνωθεν* I. 1: 15;

producuntur in arsi Κύκνος I. 4: 35, *ὀκνηρός* N. 11: 22, *τέκνον* N. 1: 42, *τετράκναμος* P. 4: 214;

corripiuntur Κύκνος Ol. 2: 82, *τέκνον* Ol. 6: 62 (ubi tamen Mommsen contra codices *τέκος*), N. 7: 105, Fr. XI: 70: 1, *τετράκναμος* P. 2: 40.

Ante τν producuntur in thesi ἀναπιτνάμεν Ol. 6: 27 (Mommsenum *ἀναπεπτάμεν* scribentem jure suo vituperat Bergk), *ἀναπιταμένα* I. 3: 65, *πιτνεῖ* Ol. 2: 23, *πίτνων* N. 5: 42, *πότνια* Ol. 14: 13, P. 4: 213, 9: 55, N. 3: 1, 8: 1, Fr. II: 8: 1, VII: 4: 7;

producitur in arsi πίτνοντα I. 2: 26;

corripiuntur πίταν N. 5: 11, *πιτνεῖ* P. 8: 93, *φάτναι* Ol. 13: 88.

Ante φν producuntur in thesi ἀφνεός Ol. 1: 10, 7: 1, P. 11: 15, N. 1: 15, 7: 19, Fr. IX: 1: 1, *ἔπεφνε* P. 10: 46, I. 4: 35, Fr. X: 6: 1;

producuntur in arsi ἄφνει Fr. XI: 137: 1, *πέφνεν* P. 11: 37, I. 5: 31;

corripiuntur ἀφνεός Fr. XI: 136: 4, *δάφνα* P. 10: 40, *ἔπεφνε* Ol. 2: 42, 10: 28, 13: 87, Fr. XI: 54: 1.

Ante χν producuntur in thesi ἄχνυμαι P. 7: 18, I. 7: 5, *ἴχνος* P. 10: 12, N. 6: 15, *ἰχνεύων* P. 8: 35, *λαχνάεις* P. 1: 19, *τέχνα* Ol. 7: 52, P. 4: 249, 8: 60, 12: 6;

producuntur in arsi τέχνα Ol. 9: 52, P. 3: 11, N. 1: 25;

corripiuntur λάχναι Ol. 1: 68, *τέχνα* Ol. 7: 37, P. 2: 32, I. 3: 53.

Ante θν producuntur in thesi τεθναότ' N. 10: 74, ἔθνος P. 5: 79, 10: 28, N. 3: 74, 5: 43, 11: 42;
producitur in arsi ἔθνος P. 4: 252;
corripiuntur τεθνακότων N. 7: 32, ἔθνος Ol. 1: 66, 10: 97, I. 5: 32, Fr. IV: 9: 1.

Ante βρ producuntur in thesi ἄβρός Ol. 5: 7, 6: 55, N. 5: 26, 7: 32, I. 1: 44, 7: 65, ἁβρότας P. 8: 89, 11: 34, αἰολοβρόντας Ol. 9: 42, ἐπιβρίσῃ P. 3: 106, ἐριβρεμέτας I. 3: 64, ἐρίβρομος Ol. 11: 21, P. 6: 3, 11, κατάβρεχε I. 4: 46, λάβρος Ol. 2: 86, 8: 36, P. 2: 87, 3: 40, 4: 244, ὑβρίζοντα P. 4: 284, ὕβρις Ol. 7: 94, P. 1: 72, 2: 28, 4: 112, 8: 12, N. 1: 50, I. 3: 27;
producitur in arsi ἔβρισε N. 8: 18;
corripiuntur βεβρεγμένος Ol. 6: 55, βέβριθεν Fr. X: 1: 3, καρτεροβρόντας Fr. XI: 24: 2, καταβρέχων Ol. 10: 99, λάβρος N. 8: 46, ὕβρις P. 10: 36, 11: 55.

Ante γρ producuntur in thesi ἄγρα N. 3: 81, Ἀγρεύς P. 9: 65, ἄγριος P. 9: 21, ἀγρότερος Ol. 2: 54, P. 3: 4, 9: 6, N. 3: 46, Μελέαγρος I. 6: 32, ὑγρός Ol. 7: 72, P. 1: 9;
producuntur in arsi ἀγρός P. 4: 149, ἔγραψε Ol. 3: 30, λυγρός P. 12: 14, ὑγρός P. 4: 40, Φλέγρα N. 1: 67, I. 5: 33;
corripiuntur ἀγρυξία Fr. XI: 150: 1, γέγραπται Ol. 10: 3, ἔγραψε N. 6: 7, λυγρός N. 8: 25, ὑγρός N. 8: 41.

Ante δρ producuntur in thesi Ἄδραστος N. 10: 12, ἄϊδρις P. 2: 37, ἀϊδροδίκας N. 1: 63, ἴδρις Ol. 1: 104, ἀμφέδραμεν P. 3: 39, ἀνέδραμον Ol. 8: 54, δυωδεκάδρομος P. 5: 31, ἱπποδρομία P. 4: 67, I. 3: 13, ἱπποδρόμιος I. 1: 48, ἀποδρέψαι P. 9: 110, ἐαρίδρεπτος Fr. IV: 3: 7, μονόδροπος P. 5: 39, ἄδρυς Fr. XI: 23: 3, ἕδρα Ol. 5: 8, 7: 80, 14: 2, P. 3: 94, 11: 63, ἔφεδρος N. 4: 96, πάρεδρος Ol. 2: 76, 8: 22, P. 4: 4, N. 7: 1, I. 6: 3, εὔυδρος P. 1: 79, κατέδρακεν N. 4: 23;
corripiuntur Ἄδραστος Ol. 6: 13, P. 8: 51, N. 8: 51, 9: 9, Ἀδράστειος N. 10: 28, I. 3: 44, Ἀδραστίδαι Ol. 2: 45, διαυλοδρόμας P. 10: 9, ἔδραμον (lectio codicum est retinenda) N. 1: 51, δυωδεκάδρομος Ol. 2: 50, ἕδρα N. 4: 66, σφόδρα N. 4: 37.

Ante πρ producuntur in thesi ἀπρόσικτος N. 11: 48, ἄπριατος Fr. XI: 48: 8, διαπρύσιος N. 4: 51, διαπρέπει Ol. 1: 2, ἐπιπρέπει P. 8: 44, Θεοπρεπής N. 10: 2, Θεοπρεπέων P. 4: 190, Κυπρία Ol. 1: 75, N. 8: 7, Κύπρις Fr.

XI: 134: 1, *Κυπρογενής* Ol. 10: 105, *Κυπρογένεια* P. 4: 216, *Κύπρος* N. 8: 18, *ἔπραθε* P. 9: 81, *πεπρωμένος* P. 4: 61, *πεπραγμένος* Ol. 2: 15;
producitur in arsi κάπρος N. 3: 47;
corripiuntur ἄπρηκτος I. 7: 7, *ἀπροσόρατος* Ol. 2: 67, *διαπρεπής* I. 4: 40, *κάπρος* Fr. XI: 159: 1, *Κύπριοι* P. 2: 16, *Κύπρος* N. 4: 46, Fr. IX: 1: 11, *πεπρωμένος* I. 7: 33, Fr. XI: 153: 1, *προπρεών* N. 7: 86, *ἔπραξε* P. 2: 40, 10: 11, I. 4: 7, *ἔπρασσεν* N. 3: 46, *πέπραγεν* P. 2: 73.

Ante κρ producuntur in thesi ἄδακρυς Ol. 2: 66, *δάκρη* Fr. IX: 1: 2, *δάκρυα* P. 4: 121, *Ἀκράγας* Ol. 2: 6, 91, *Ἀκραγαντῖνος* I. 2: 17, *ἀκρόθινα* Ol. 2: 4, *ἀκρόπολις* Ol. 7: 51, *ἀκρόσοφος* Ol. 11: 19, *ἄκρος* Ol. 6: 70, P. 4: 174, 5: 7, 11: 10, 55, N. 6: 23, I. 3: 50, 6: 18, *ἀκρωτήριον* Ol. 9: 7, *Ἄκρων* Ol. 5: 8, *ἀνέκραγον* N. 7: 76, *βαθύκρημνος* N. 9: 40, I. 3: 74, *διακρῖναι* Ol. 8: 24, P. 9: 115, *διακρίνειν* P. 1: 68, *διέκρινε* Ol. 10: 46, *κατεκρίθη* Fr. XI: 13: 1, *κεκριμένος* N. 4: 1, 6: 2, *Τιμόκριτος* N. 4: 13, *ὑπόκρισις* Fr. XI: 156: 1, *ἐπίκρανον* Fr. V: 1: 9, *ἐπικραιεῖν* N. 8: 5, *ἐκράτει* N. 5: 45, *Ξενοκράτης* I. 2: 14, *Τελεσικράτης* P. 9: 3, 100, *ἐπίκρυφος* Ol. 8: 69, *κατακρύψαις* N. 1: 31, *Ἱπποκρότος* P. 5: 86, *κεκρότηται* Fr. XI: 103: 1, *κεκραμένος* Fr. VII: 7: 1, *Λοκρός* Ol. 9: 60, *μακρός* Ol. 13: 40, P. 1: 45, 2: 26, 3: 105, 4: 247, N. 4: 33, 5: 19, 10: 4, 46, I. 2: 35, 3: 31, 6: 43, *μονόκρημνις* P. 4: 75, *νεκρός* Fr. XI: 114: 2, *πικρός* I. 6: 48, *σμικρός* P. 3: 107, *δποκρέκει* Ol. 9: 39, *φοινικόκροκος* Ol. 6: 39;
producuntur in arsi ἄκρος N. 1: 11, 3: 27, *κεκραμένον* N. 11: 36, *ἔκρινας* N. 9: 35, *κέκρυπτο* Ol. 6: 54, *Λοκρός* Ol. 9: 20, 10: 13, 11: 15, *μακρός* P. 9: 77, *μικρός* Ol. 12: 12, *νεκρός* Ol. 6: 15, *σμικρός* P. 3: 107;
corripiuntur Ἀκράγας Ol. 3: 2, P. 6: 6, 12: 3, *ἄκραντος* Ol. 1: 86, 2: 87, P. 3: 23, *ἐκράνθη* P. 4: 175, *ἀκρόθινα* Ol. 10: 57, *ἀκροθίνια* N. 7: 41, *ἄκρος* Ol. 7: 38, P. 9: 118, *ἀμφικρέμανται* I. 2: 43, *ἀνακρινόμενον* P. 4: 63, *διακρῖναι* Fr. XI: 47: 5, *κέκριται* Ol. 2: 30 (acquiescendum est in correctione Byzantinorum), *δάκρυα* N. 10: 75, *κατακρύπτει* Ol. 8: 79, *κεκρύφθαι* Ol. 7: 60, *κέκραται* P. 10: 41, *κεκραμένος* Ol. 10: 104, P. 5: 2, *ἐκράτησε* N. 10: 25, *Ξε(ι)νοκράτης* P. 6: 6, I. 2: 36, *Λοκρίς* P. 2: 19, *Λοκρός* Ol. 10: 98, *μακραγορία* P. 8: 30, *μακρός* P. 8: 73, I. 4: 50, 5: 56, *νεκρός* P. 3: 43, *χαλκόκροτος* I. 6: 3.

Ante τρ producuntur in thesi ἁλιτρός Ol. 2: 59, N. 8: 39, *ἀμέτρητος* I. 1: 33, *μέτρον* P. 4: 237, 286, I. 1: 54, 5: 71, 71, *ἀπότρεπε* N. 4: 69, *ἀπότροπος* P. 8: 94, *ἄτροπος* N. 7: 103, *ἀτραπός* Fr. VII: 4: 4, *ἐπέτραπεν* Ol.

3: 36, *ἐπιτρέψοντι* Ol. 6: 21, *μεταιροπία* P. 10: 21, *παράτροπος* P. 2: 35, *προτροπάδαν* P. 4: 94, *ἔτρεψεν* I. 7: 10, *ἔτραπε* P. 3: 55, 9: 43, *ἄροτρον* P. 4: 224, Fr. XI: 155: 2, *Ἀτρείδας* I. 4: 34, 7: 51, *Ἀτρεύς* Ol. 13: 56, *ἀτρεκής* Ol. 3: 12, P. 8: 7, N. 5: 17, *ἀτρέκεια* Fr. XI: 129: 4, *ἀτρεμία* N. 11: 12, *ἄτρυτος* P. 4: 178, *ἄτρωτος* N. 11: 10, I. 3: 18, *ἀλλότριος* Ol. 10: 89, P. 1: 59, N. 1: 54, *εὐρυφαρέτρας* P. 9: 26, Fr. XI: 12: 1, *φαρέτρα* P. 4: 91, *θυγατρός* (*-τρί, -τρα, -τρ', -τρες*) Ol. 1: 81, 6: 95, 8: 81, 9: 58, P. 3: 97, 9: 111, N. 3: 57, 4: 3, I. 7: 17, *θύρετρα* I. 6: 6, *ἱπποτροφία* I. 2: 38, *λαοτρόφος* Ol. 5: 4, 6: 60, *ὁμότροφος* Ol. 13: 7, *λατρεία* N. 4: 54, *λάτριος* Ol. 10: 28, *λύτρον* Ol. 7: 81, I. 7: 1, *ὀτρύνει* Ol. 3: 38, P. 4: 164, N. 1: 7, 10: 23, *ὀτρύνων* N. 1: 34, *πατρός* (*-τρί*) Ol. 1: 70, 3: 19, 7: 45, 8: 70, 70, 14: 12, P. 2: 48, 4: 106, 6: 30, N. 10: 12, 55, I. 1: 30, 7: 3, 17, 23, *πάτρα* Ol. 12: 16, N. 6: 35, 8: 46, I. 4: 39, *πατραδελφεός* I. 7: 65, *πάτριος* Ol. 2: 14, 6: 62, N. 2: 6, *πατρίς* Ol. 10: 36, P. 4: 98, I. 1: 10, *πατρόθεν* Ol. 3: 28, 7: 24, *πατροπάτωρ* P. 9: 82, N. 6: 16, *πατρώϊος* Ol. 2: 35, P. 4: 290, N. 9: 14, I. 1: 31, *πέτρα* Ol. 6: 64, *πέτρος* Ol. 10: 72, N. 4: 28, *τετράκις* Ol. 7: 85, N. 10: 42, *τετράκναμος* P. 2: 40, 4: 214, *τετράορος* N. 7: 93, *τέτρασιν* Ol. 8: 68, 10: 69, *τέτρατος* Ol. 8: 46, P. 4: 47, Fr. X: 6: 1, *χαλκομίτρας* N. 10: 90;

producuntur in arsi μέτρον P. 8: 78, *μίτρα* N. 8: 15, *πατρύς* Ol. 6: 50, 13: 34, *πάτρα* I. 6: 27, *πατρώϊος* Ol. 7: 79, N. 10: 66, *πέτρα* P. 4: 209, I. 5: 73, Fr. V: 1: 9, *τετρωμένος* P. 3: 48;

corripiuntur Ἀγλαοτρίαινα Ol. 1: 40, *Ἀμφιτρίτα* Ol. 6: 105, *Ἀμφιτρύων* P. 9: 81, N. 1: 52, 4: 20, 10: 13, I. 1: 48, 6: 6, *Ἀμφιτρυωνιάδας* Ol. 3: 14, I. 5: 38, *ἄροτρον* P. 4: 234, *Ἀτρείδας* Ol. 9: 70, P. 11: 31, *Ἀτρέκεια* Ol. 10: 13, *ἀλλότριος* P. 1: 84, 11: 27, N. 3: 30, I. 1: 13, Fr. IV: 2: 1, XI: 69: 1, *ἐπίτροπος* Ol. 1: 106, *μεταιχαπεῖν* Fr. XI: 61: 1, *τετραμμένος* Ol. 4: 16, *τέτραπται* I. 4: 20, *ἱπποτρόφος* N. 10: 41, I. 3: 32, *κουροτρόφος* Fr. XI: 125: 4, *μέτρον* Ol. 13: 20, P. 2: 34, N. 11: 47, *μίτρα* I. 4: 56, *Ὀρσοτρίαινα* Ol. 8: 48, P. 2: 12, N. 4: 86, *ὄτρυνον* Ol. 6: 87, *πατρός* (*-τρί*) Ol. 6: 68, 81, 10: 45, 86, 13: 40, 51, 59, 66, 14: 21, P. 3: 13, 4: 120, 6: 15, 39, 10: 2, 12, 11: 17, 43, N. 7: 91, 8: 16, I. 5: 27, 7: 33, Fr. XI: 9: 2, *πάτρα* Ol. 8: 20, P. 5: 78, 7: 5, 8: 38, 9: 74, 11: 23, N. 7: 85, 11: 20, I. 5: 63, *πάτραθε* N. 7: 70, *πάτρως* P. 6: 46, *πατρώϊος* P. 5: 49, 6: 45, 9: 23, 11: 14, N. 4: 48, I. 2: 44, *Πάτροκλος* Ol. 9: 75, 10: 19, *πειράεις* Ol. 6: 48, *πετραῖος* P. 4: 138, Fr. XI: 70: 2,

πέτρα P. 1: 23, 10: 52, *πέτρος* N. 10: 67, *τετράκι* N. 7: 104, *τετραορία* Ol. 2: 5, P. 2: 4, N. 4: 28, I. 3: 17, *τετράορος* P. 10: 65, *τέτρασι* P. 8: 81, *ἔτρωσεν* N. 10: 60, *φαρέτρα* Ol. 2: 84.

Ante φρ producuntur in thesi Ἀφροδίσιος N. 7: 53, Fr. IX: 4: 1, Ἀφροδίτα Ol. 6: 35, 7: 14, P. 2: 17, 4: 88, 5: 22, 6: 1, N. 8: 1, I. 2: 4, Fr. V: 3: 3, IX: 1: 3, *ἄφρων* P. 8: 74, *βαθύφρων* N. 7: 1, *δαΐφρων* P. 9: 84, *δαμασίφρων* Ol. 13: 75, *θεόφρων* Ol. 6: 41, *κακόφρων* Fr. XI: 127: 1, *κενεόφρων* N. 11: 29, Fr. XI: 128: 1, *μελίφρων* N. 7: 11, Fr. IX: 1: 8, *δμώφρων* Ol. 7: 6, *πρόφρων* P. 5: 109, I. 3: 61, 5: 28, *προφρόνως* P. 2: 16, 10: 66, N. 1: 33, *φιλοφροσύνα* Ol. 6: 98, *δίφρος* Ol. 9: 81, *ῥυσίδιφρος* I. 2: 21, *δολοφραδής* N. 8: 33, *ἔφρασεν* I. 3: 56, *ἐλαφρός* N. 5: 20, 7: 77, *ἐλαφρῶς* P. 2: 93, *ὄφρα* Ol. 6: 23, 14: 22, P. 1: 72, 4: 2, 92, 218, 5: 58, 11: 9, 12: 20, N. 3: 59, Fr. IX: 4: 2, *ὀφρύς* Ol. 13: 102, P. 9: 38, *πεφρίκοντας* P. 4: 183;

producuntur in arsi διφρηλασία Ol. 3: 38, *διφρηλάτας* P. 9: 81, *δίφρος* P. 4: 18, 9: 6, I. 3: 47, *πρόφρων* P. 4: 191, 9: 56, N. 5: 22, *ἔφριξε* Ol. 7: 40;

corripiuntur Ἀφροδίτα P. 9: 9, Fr. IX: 2: 5, *διφρηλάτας* I. 1: 15, *δίφρος* Ol. 1: 87, P. 2: 10, 5: 48, I. 2: 2, *κατέφρασεν* Ol. 10: 55, *ὄφρα* Ol. 7: 16, *ἀνεφρόντισεν* Ol. 1: 69, *ὑψίφρων* P. 2: 51, *φιλόφρων* P. 1: 94, 8: 1, *πεφρικυῖαν* I. 5: 40.

Ante χρ producuntur in thesi ἀχρεῖος Fr. XI: 68: 1, *ἀχρήμων* Fr. XI: 136: 4, *γλαυκόχρως* Ol. 3: 13, *ἔχρεον* Ol. 7: 97, *ἐχρῆν* N. 7: 44, *πολύχρυσος* P. 4: 53, 9: 69, Fr. XI: 136: 2, 139: 2;

producitur in arsi ψυχρός Ol. 3: 32, Fr. IX: 2: 5;

corripiuntur πενιχρός N. 7: 19, *πολύχρυσος* P. 6: 8.

Ante θρ producuntur in thesi ἀγλαόθρονος Ol. 13: 92, N. 10: 1, *δμόθρονος* N. 11: 2, *ὑψίθρονος* I. 5: 16, *χρυσόθρονος* P. 4: 260, N. 1: 37, *ἄθρόος* Ol. 13: 94, P. 2: 35, 4: 130, N. 1: 51, I. 1: 24, 4: 7, *ἐρυθρός* P. 4: 251, *μέλαθρον* P. 5: 38, *ὄλεθρος* P. 2: 41, *πτολίεθρον* Fr. IV: 4: 2, *ῥέεθρον* Ol. 9: 18, N. 9: 9, I. 4: 29, *τέθριππος* I. 1: 12, *ἐθρέψαντο* Ol. 6: 46;

corripiuntur ἄθρησον P. 2: 70, *βάθρον* Ol. 13: 6, *σαθρός* N. 8: 34, *ῥέεθρον* Ol. 13: 35, I. 1: 25, *τέθριππος* Ol. 2: 50, P. 1: 59, *ὑψίθρονος* N. 4: 65.

Nunc ad alterum positionis genus transimus, quum consonæ in initio vocabuli sequentis sunt positæ. Primum secernenda esse omnia exempla, ubi vox

a consonis literis incipiens aut post consonam aut post longam vocalem aut in initio versus legatur, nemo est quin intelligat. Hoc autem modo nongenta quinquaginta fere exempla omittuntur. Cetera hæc sunt:

Ante γλ producuntur in thesi δὲ *γλαυκῶπες* Ol. 6: 45, *ποτε Γλαυκῶπις* N. 10: 7, *τε γλαφυροῖς* N. 9: 12, *κρατί, γλεφάρων* P. 1: 8, *ἐπὶ γλεφάροις* P. 9: 24, I. 7: 45, *ἐφίζοισα γλεφάροις* N. 8: 2, *ἔτι γλυκυτέραν* Ol. 1: 109, *ποτὶ γλυκεῖαν* Ol. 4: 5, *Ἀπόλλωνι γλυκείας* Ol. 6: 35, *τὰ γλυκέα* Ol. 14: 6, *ἴσθι, γλυκεῖαν* N. 5: 48, *ὄχθαισι γλυκύν* N. 9: 22, *ἐπέρναντο γλυκεῖαι* I. 2: 7, *ἐπὶ γλυκεραῖς* P. 9: 12, *τε γλυκερόν* Fr. IX: 3: 2, *ἀπὸ γλώσσας* Ol. 6: 13, *ἐπὶ γλώσσᾳ* Ol. 6: 82;

producitur in arsi δὲ *Γλαῦκον* Ol. 13: 58;

corripiuntur τε γλαυκώπιδα N. 7: 96, *ὑπὸ γλυκυτάταις* Ol. 1: 19, *ἐξύφαινε, γλυκεῖα* N. 4: 44, *παντὶ γλυκεῖα* N. 7: 52, *εὐθεῖα γλῶσσαν* Ol. 13: 12, *χάλκευε γλῶσσαν* P. 1: 86, *ἀπὸ γλώσσας* P. 3: 2, *ἀλλοτρίαισι γλώσσαις* P. 11: 27.

Ante πλ producuntur in thesi ῥήματα πλέκων N. 4: 94, *χειμῶνι πλέων* I. 2: 42; *corripiuntur* δὲ *πλαγᾶν* N. 3: 17, *χεῖρα πλαξίπποιο* I. 2: 21, *ὅτι πλείστοισι* Ol. 3: 39, *ὅτε πλείστα* Ol. 11: 1, *ὁ πλεῖστος* N. 7: 24, *αἰχματαῖσι πλέκων* Ol. 6: 86, *δὲ πλέον'* N. 7: 20, *σπάραξε πλευράς* Fr. VII: 7: 2, *κεῖνο πλευσάντων* P. 4: 69, *περὶ πλήθει* Ol. 13: 43, *δὲ πλόον* Ol. 6: 103, *ἐόντα πλόον* P. 4: 170, *τὸ πλουτεῖν* P. 2: 56, *ἔξοχα πλούτου* Ol. 1: 2, *ἀνδράσι πλούτου* Ol. 13: 7, *ὁ πλοῦτος* P. 5: 1, *κρέσσονα πλούτου* P. 8: 92, *δὲ πλοῦτον* P. 6: 47, *ἀγάνορα πλοῦτον* P. 10: 18, *ἔβρισε πλούτῳ* N. 8: 18, *πολυχρύσοιο πλούτου* Fr. XI: 136: 2.

Ante κλ producuntur in thesi τόθι, κλειναῖς I. 2: 19, *ποτὶ κλειτάν* N. 5: 37, *δὲ κλέος* Ol. 1: 93, *εὐρὺ κλέος* Ol. 10: 95, *κατὰ κλέος* P. 4: 125, *ποδί. κλέπτων* P. 4: 96, *ἀπὸ κλισιᾶν* P. 4: 133, *χερὶ κλονέων* I. 7: 65, *οἴκαδε κλυτοκάρπων* N. 4: 76, *τάνδε κλυταῖς* Ol. 5: 20, *τε κλυτάν* Ol. 6: 102, P. 1: 37, *πατρὶ κλυτάν* Ol. 14: 21, *παῖδα κλυτάν* P. 3: 92;

corripiuntur ἔχοισα κλαΐδας P. 8: 4, *ἀδὺ κλάϊστρον* P. 1: 8, *τὸ κλεεννότατον* P. 4: 280, *ἔρεισμα, κλειναὶ* Fr. IV: 4: 2, *ὅντε Κλείτωρ* N. 10: 47, *ὁ Κλεονίκου* I. 5: 16, *δὲ κλέος* Ol. 7: 55, *παισὶ κλέος* N. 8: 36, *ὅτι κλέψαις* Ol. 1: 60, *δὲ κλέπτει* N. 7: 23, *τι κλεπτόμενον* Fr. XI: 134: 1, *ὑπὸ Κλεωνᾶν* Ol. 10: 30, *αἶσι Κλεωνυμίδαι* I. 3: 22, *ποτὶ κλίμακα* Fr. II: 2: 3, *ἔξελε Κλωθώ* Ol. 1: 26.

Ante τλ corripiuntur ἀπὸ Τλαπολέμου Ol. 7: 21, *γλυκὺ Τλαπολέμῳ* Ol. 7: 81.

Ante φλ producitur in thesi ὑμνεῖτε· φλέγεται N. 10: 2.

Ante γν producuntur in thesi τότε γνούς P. 3: 31, *παρὰ γνώμαν* Ol. 12: 10; *producitur in arsi Θεράποντα, γνώσομαι* Ol. 13: 3.

Ante πν producitur in thesi χθόνα πνοιαῖς Ol. 3: 31;
corripiuntur κενεὰ πνεύσαις Ol. 10: 93, *δὲ πνέων* P. 10: 44, *χαμηλὰ πνέων* P. 11: 30, *ἄλλα πνέων* N. 3: 41, *δὲ πνέομεν* N. 6: 1, *κε πνέοις* N. 10: 87, *καλλιρόοισι πνοαῖς* Ol. 6: 83, *κατὰ πνοά* P. 5: 113, *φρίσσοντα πνοάς* N. 10: 74.

Ante κν producuntur in thesi δὲ κνίσᾳ N. 11: 7, *αἰθέρα κνισάεντι* I. 3: 84, *δὲ κνώσσων* P. 1: 8;
producitur in arsi ἀντιάνειρα Κνωσίας Ol. 12: 16;
corripitur τε κνισάεσσα Ol. 7: 84.

Ante θν producuntur in thesi περὶ θνατῶν Ol. 6: 50, *ἀνδράσι θνατοῖς* P. 12: 22;
corripiuntur πῆμα θνάσκει Ol. 2: 19, *αἰῶνα. θνάσκομεν* I. 6: 42, *μείλιχα θνατοῖς* Ol. 1: 30, *ἄνδρα θνατόν* Ol. 1: 54, *ἐπέμιξε θνατοῖς* P. 2: 32, *λόγοισι θνατῶν* P. 6: 16, *ὁ θνατός* N. 3: 75, *σπέρμα θνατόν* N. 10: 81, *θνατὰ θνατοῖσι* I. 4: 14, *φρενί· θνατᾶς* Fr. III: 10: 3, *δὲ θνατοῖς* Fr. XI: 13: 1, *μάλιστα θνατῶν* Fr. XI: 130: 2.

Ante βρ producuntur in thesi σφι βρέμειαι N. 11: 7, *ἀποθανοῖσα βρόμῳ* Ol. 2: 25, *παύσαιε· βροτέων* I. 7: 35, *δὲ βροτέαν* Fr. XI: 140: 3, *πλείσταισι βροτῶν* Ol. 3: 39, *ταῦτα βροτοῖς* P. 2: 21, *ἔκαμψε βροτῶν* P. 2: 51, *δαίοντι βροτοῖς* P. 3: 81, *δὲ βρότεον* P. 10: 28;
producitur in arsi ἄρχε, βρέχετο Ol. 10: 51;
corripiuntur ἴσαμι βραχύν P. 4: 248, *τε βραχεῖαι* P. 9: 68, *μέγα βρίθει* N. 3: 40, *ὑπέρτατε βρονταῖς* Ol. 4: 1, *κελαδησόμεθα βροντάν* Ol. 10: 79, *ἔκλαγξε βροντάν* P. 4: 23, *ἀντάϋσε βροντᾶς* P. 4: 197, *παντὶ βροτῶν* Ol. 1: 100, *πάντα βροτοῖς* Ol. 14: 6, *δὲ βροτοῖσιν* N. 7: 96, *ἀλλὰ βροτῶν* N. 11: 29, *δὲ βροτοί* I. 6: 17, *ἐσὶ βροτοῖς* I. 7: 15, *ἄντε βροτοί* Fr. V: 1: 3.

Ante γρ producitur in thesi ποτὶ γραμμᾷ P. 9: 118.

Ante δρ producuntur in thesi πέντε δραπών P 4: 130, *θῆκε δρόμῳ* N. 10: 48; *corripiuntur ἐθρέψαντο δράκοντες* Ol. 6: 46, *δὲ δράκοντες* Ol. 8: 37, *πέμπε δράκοντας* N. 1: 40, *ἔγραψε δραμεῖν* N. 6: 7, *τέρμα δρόμου* Ol. 3: 33.

Ante πρ producuntur in thesi ἄρμενα πράξαις Ol. 8: 73, *ἀπὸ πραπίδος* Fr. XI: 125: 3, *σπέρμα πρίν* P. 4: 43, *τὸ πρίν* P. 11: 39, *ποντιάδα πρῶ* I. 3: 38, *δὲ πρό* I. 7: 13, *τοὔνεκα προῆκαν* Ol. 1: 65, *ὄμνυμι προήσειν* P. 4: 166,

παρὰ πρόθυρον I. 7: 3, τε πρός Ol. 6: 24, N. 8: 41, ὅτι πρόσθε Ol. 10: 31, δὲ πρόσθεν P. 9: 125, δὲ πρόσωπον P. 6: 14, ἀντία προτέρων Ol. 1: 36, ἐπὶ προτέρων Ol. 7: 76, οἶσθα προτέρων P. 3: 80, δὲ πρότερον P. 4: 25, ἵνα πρότεροι N. 3: 13, Ἡρακλῆϊ πρότερον I. 4: 33, οὐκέτι πρόσω N. 3: 20, θυγατέρα Πρόφασιν P. 5: 26, τε πρυτανεῖα N. 11: 1, ξείνια πρώραθεν P. 4: 22, ποτε πρώτοις Ol. 6: 75, ἀνδράσι πρώτα P. 1: 33, δὲ πρῶτον N. 1: 43;

producuntur in arsi ἀμφὶ πράξιος Ol. 12: 8, παρθένοισι, πρίν P. 9: 113, τε πρίν N. 8: 19, δὲ πρός Ol. 8: 8, Τιρυνθίοισι πρόφρονα I. 5: 28;

corripiuntur δὲ προπρεῶνα N. 7: 86, δὲ πρᾶγος N. 3: 6, δὲ πρᾶξιν Ol. 1: 85, τοῦτο πράσσων Ol. 8: 29, δὲ πράξασθ' P. 3: 115, γε πράξασθαι P. 4: 243, ἀντία πράξει P. 8: 52, δὲ πρασσόντων Fr. X: 2: 4, θνατοῖσι πρέπει I. 4: 14, δὲ πρεσβύτεραι P. 2: 65, γε πρίν N. 4: 28, αἴθωνι πρίν N. 7: 73, δέκετο πρίν I. 7: 68, δὲ πρό P. 5: 90, λειμώνεσσι προάστιον Fr. X: 1: 2, ἄνδρα προβάσει Ol. 8: 63, ἱέρμα προβάς N. 7: 71, ἀνθρώποισι Προμαθέος Ol. 7: 46, γυῖα· προμαθείας N. 11: 46, δὲ πρός Ol. 3: 43, P. 1: 86, 2: 88, N. 7: 40, Νείλοιο πρός P. 4: 56, μάλιστα πρός P. 6: 45, ῥέπονται πρός P. 9: 25, Ἴρασα πρός P. 9: 106, τίνα πρός N. 3: 26, τὸ πρός N. 4: 69, πλαναθέντα πρός N. 8: 4, μοῖρα πρός I. 3: 10, τε πρός I. 3: 77, σε πρός Fr. VII: 4: 6, φλογί, πρός Fr. IX: 2: 5, δὲ προσανέα P. 3: 52, οὐδὲ προσάντης I. 2: 33, χέρα προσβάλλοντα P. 4: 271, ἐθέλοντα προσέρπει Ol. 6: 83, δὲ προσέμιξε Ol. 1: 22, δεῖμα προσέννεπε P. 4: 97, Χείρωνα προσέννεπε P. 9: 29, τε προσεννέπω I. 5: 17, προσεφθέγξατο· πρόσθε Ol. 10: 50, τε προσμένοι N. 3: 60, ἐντὶ πρόσοδοι N. 6: 45, εὐκλεΐ προσέθηκε N. 3: 68, χερὶ προστραπών N. 4: 55, δὲ προσφέρων Ol. 9: 108, τι προσφέρομεν N. 6: 4, δὲ πρόσφορον N. 8: 48, φαίνοισα πρόσωπον N. 5: 17, δὲ προτέραις Ol. 10: 78, τοῦτο προτέρων N. 3: 52, Μοῖσα· προφατεύσω Fr. XI: 15: 1, χρυσοχαῖτα προφρόνως P. 2: 16, ἄγοντα προφρόνως P. 10: 66, τε πρόφρων P. 5: 109, ἔνθα πρυμνοῖς P. 5: 87, τε πρύτανιν P. 6: 24, τόθι πρῶνες N. 4: 52, αἷμα πρώτισιος P. 2: 32, δὲ πρώτιστον N. 5: 25, με πρώτιστα Fr. XI: 82: 1, ἅμα πρώτοις Ol. 8: 45, Ὀλυμπιάδι πρώτᾳ Ol. 10: 58, ἐπαγγέλλοντι πρῶτον P. 4: 31, νωμῶντα πρῶτον P. 8: 47, τὸ πρῶτον N. 3: 49, ἔρνεα πρῶτος N. 6: 18.

Ante κρ producuntur in thesi τινι, κραίνων Ol. 3: 11, πατρὶ κραίνει Ol. 6: 81, ἐπὶ κράναν P. 3: 69, τε κραναᾶς N. 8: 11, χερσὶ κρατεῖν Ol. 7: 53, ἐξένεπε κρατέων Ol. 8: 20, ὕπο κρατερᾶν P. 11: 18, τὸ κρατήσιππον N. 9:

4, *ὁ κρατισιεύων* Fr. XI: 68: 3, *ὅτι κράτιος* I. 7: 5, *ἀνδράσι κρέμαται* I. 7: 14, *βάλλετο κρηπῖδα* P. 4: 138, *παρὰ κρατῆρα* N. 9: 49, *τε κριοῦ* P. 4: 161, *Πυθιάδι κρίθη* P. 8: 84, *ἀπὸ κροκόεν* P. 4: 232, *δὲ Κρονίδαο* P. 4: 171, *παρὰ Κρονίδαν* N. 3: 47, *φάτο Κρονίδαις* I. 7: 45, *καρτερόβροντα Κρονίδα* Fr. XI: 24: 2, *μιχθεῖσα Κρονίῳ* Ol. 6: 29, *ἄρκεσε Κρόνιον* Ol. 9: 3, *ἄρα Κρονίων* P. 3: 57, *δὲ Κρονίων* N. 1: 16, *ἀλλὰ Κρόνου* Ol. 7: 70, *θυγατέρι Κρόνου* P. 2: 39, *δὲ Κρόνου* N. 5: 7, *χθόνα, κρύψεν* N. 9: 25, *ἔννεπε κρυφᾷ* Ol. 1: 47;

corripiuntur θήρευσε κραιπνόν P. 4: 90, *τε κραιπνότεραι* P. 4: 209, *τε κράναν* P. 1: 39, *τε κράνᾳ* P. 4: 294, *δὲ κρατεῖ* N. 4: 50, *Πυθῶνι κράτησεν* N. 6: 35. *ἅπαντι κράτει* Ol. 10: 82, *ὑπαντιάξαισα κράτει* P. 8: 11, *ἀλλὰ κρέμαται* P. 5: 32, *τριετηρίδι Κρεοντίδαν* N. 6: 40, *δὲ κρεσσόνων* Ol. 10: 39, *τε κρέσσον* I. 7: 34, *δεύτατα κρεῶν* Ol. 1: 50, *ἵνα κρεῶν* N. 7: 42, *ποτε Κρηθεΐδας* P. 4: 152, *ναΐ κρημνάντων* P. 4: 25, *ἐπὶ κρημνοῖς* Ol. 3: 22, *τε κρίσιν* N. 10: 23, Fr. X: 2: 5, *δὲ κρίνει* N. 5: 40, *μαλακαῖσι κρόκαις* N. 10: 44, *παρὰ Κρονίδαις* P. 2: 25, *ὁποῖα, Κρονίδαι* P. 5: 110, *οὐδὲ Κρονίων* N. 9: 19, *παρὰ Κρόνου* Ol. 2: 70, *εὐρυμέδοντα Κρόνου* P. 3: 4, *ἔοικε Κρόνου* I. 1: 46, *ἀμφὶ κρουνοῖς* Ol. 13: 61, *Ἀφαίστοιο κρουνούς* P. 1: 25, *δὲ κρύψαι* Ol. 13: 13, *ἀμείβετο· Κρυπταί* P. 9: 39.

Ante ιρ producuntur in thesi ὅθι τράγοι Fr. XI: 112: 3, *Ἀθάναισι τρία* Ol. 13: 37, *δὲ τρεῖς* Fr. X: 6: 1, *καλὰ τρέψαντες* P. 3: 83, *δὲ τράφεν* P. 4: 115, *ποσσὶ τρέχων* Ol. 10: 65, *χερὶ τριόδοντος* I. 7: 35, *ὁπότε τρίτον* P. 12: 11, *δὲ τρίτον* I. 5: 7, Fr. XI: 54: 2, *ποτε Τριτωνίδος* P. 4: 20, *ποτε Τρωΐαν* N. 4: 25, *ἑλύσατο, Τρωΐας* I. 7: 52, *ἐλθόντα τρόμεον* Ol. 13: 58, *εὐρόντι τρόπον* Ol. 3: 4, *πτερόεντι τροχῷ* P. 2: 22;

corripiuntur θαμὰ τράπεζαν Ol. 1: 17, *ἀμφὶ τράπεζαν* I. 2: 40, Fr. XI: 83: 1, *χερσὶ τραπεζᾶν* Fr. XI: 44: 2, *μετὰ τριῶν* Ol. 1: 60, *δὲ τρεῖς* N. 6: 20, *ἔνθα τραφεῖσ'* Ol. 6: 35, *ὀνύμαξε τράφοισα* P. 2: 44, *ὁ τριπλόος* Ol. 9: 2, *δὲ τρίς* N. 7: 104, *μέλλοντα τριταῖον* N. 7: 17, *ὑπὸ Τρωΐαν* N. 3: 60, *ἀμφὶ τρόπον* Ol. 10: 77, *ἀμφὶ τρόπῳ* N. 1: 29, *γλυκὺ τρωγάλιον* Fr. IX: 8: 1, *ἔσφαλε, Τροίας* Ol. 2: 81, *προσβάλλοντα τρώμαν* P. 4: 271.

Ante φρ producuntur in thesi ἀνεγείροντα φράσαι Ol. 8: 74. *τε φράζων* I. 5: 68, *δαμέντα φρένας* Ol. 1: 41, *πιθήσαντα φρασίν* P. 4: 109, *δὲ φρήν* P. 6: 52, N. 1: 27, *ὑπέκνισε φρένας* P. 10: 60, *γλῶσσα φρενός* N. 4: 8, *τε φρενῶν* N. 10: 12, *δὲ φρένεσσιν* I. 3: 5, *κρατησίποδα Φρικίαν* P. 10: 16,

στέγετο φρίσσοντας P. 4: 81, *δὲ φρίσσοντα* N. 10: 74, *πιστὰ φρονέων* Ol. 3: 17, *ἀλλοῖα φρόνει* Fr. XI: 70: 4;

corripiuntur τε φράσαι Ol. 13: 11, *ἔρνεσι φράξαι* I. 1: 58, *ἄκοντι Φράστωρ* Ol. 10: 71, *αὖτε φρενός* Ol. 2: 90, *δὲ φρενῶν* Ol. 7: 31, *ὅτι φρενῶν* P. 2: 73, *ἀμπλακίαισι φρενῶν* P. 3: 13, *ἐλάθοντο φρένες* P. 4: 41, *δονηθεῖσα φρήν* P. 6: 36, *διὰ φρενῶν* N. 7: 26, *κακὰ φρονέων* P. 8: 82, *ἔθηκε φροντίσιν* Ol. 1: 19, *ὅσα φροντίδι* P. 2: 92, *λάβε φροντίδ'* N. 10: 22.

Ante χρ producuntur in thesi ἐμὲ χρή Ol. 8: 74, P. 4: 141, *αἰθέρα. χρεῖαι* N. 8: 42, *ἐπὶ χρέος* Ol. 1: 45, *βαθὺ χρέος* Ol. 10: 8, *δὲ χρεών* P. 2: 52, *ἐοικότα χρόνον* Ol. 4: 28, *παντὶ χρόνῳ* Ol. 6: 36, *κατὰ χρόνον* Ol. 10: 102, *προσέρποντα χρόνον* P. 1: 57, *δὲ χρόνῳ* P. 4: 291, Fr. XI: 147: 2, *ὅτι χρόνος* N. 4: 43, *ποτὶ χρόνος* N. 7: 68, *πάντα χρόνον* I. 3: 6, *αὐτίκα χρυσάμπυκα* Ol. 7: 67, *θεσμοφόρε χρυσάνιον* Fr. II: 8: 1, *τε χρύσεον* Ol. 1: 87, *ποτὲ χρυσέων* P. 4: 4, *τε χρυσέᾳ* P. 10: 40, *ἀπὸ χρυσεᾶν* N. 5: 7, *δὲ χρυσός* Ol. 1: 1, *ἀπὸ χρυσοῦ* P. 12: 17, *ἔπλετο· χρυσοστεφάνου* P. 9: 109, *ὁ χρυσοχαῖτα* P. 2: 16;

producuntur in arsi δὲ χρή N. 11: 47, *δαμεῖσα χρυσέοις* P. 3: 9, *δὲ χρυσός* Ol. 3: 42, *ὕσε χρυσόν* Ol. 7: 52;

corripiuntur Πυθῶνι χρησθέν Ol. 2: 39, *δέξαντο· χρή* Ol. 6: 27, *ιηρέωντι. χρή* P. 2: 88, *δὲ χρή* P. 9: 50, *ἐπαύρεο. χρή* N. 5: 49, *τά. χρή* I. 7: 15, *κύνα χρή* Fr. XI: 155: 3, *χρήματα, χρήματ'* I. 2: 11, *περὶ χρήμασι* Fr. IX: 2: 6, *δῶκε χρίεσθαι* P. 4: 222, *γάμοισι χροΐζόμενον* Fr. 139: 6 apud Bergkium, *ἀλλὰ χρονίῳ* P. 11: 36, *ἀμφὶ χρόνον* Ol. 2: 30, *γένοιο χρόνον* Ol. 13: 25, *αὖτε χρόνῳ* P. 3: 96, *καταβάντα χρόνῳ* P. 4: 55, *ἆρα χρόνῳ* P. 4: 78, *δὲ χρόνος* N. 1: 46, *ἅπαντα χρόνον* N. 1: 69, *ὑπερβάλλοντα χρόνον* Fr. XI: 30: 1, *ἕκατι χρυσαρμάτου* P. 5: 9, *τε χρυσέῳ* P. 9: 6, *ἄστυ χρυσοθρόνου* P. 4: 260, *ὁ Χρυσοκόμας* Ol. 6: 41, 7: 33, *δὲ χρυσοῦ* Ol. 2: 72, I. 1: 18, *δαμασίφρονα χρυσόν* Ol. 13: 75.

Ante θρ producuntur in thesi ἑρίζοντι θρασεῖ N. 5: 39, *παῖδα, θρασεῖαι* I. 1: 11, *παῖδα θρασύν* I. 5: 45, *ἄγαγε θρασύν* Fr. XI: 74: 1, *δὲ θρασυμάχανος* Ol. 6: 67, *τε θρασυμήδεα* N. 9: 13, *ματέρα θρασύθυμον* Ol. 13: 10, *Ἀπόλλωνα θρόνους* Ol. 14: 11;

corripiuntur ἐφεῦρε θρασειᾶν P. 12: 7, *δὲ Θρηϊκίων* P. 4: 205, *ἐπὶ θρῆνον* I. 7: 58, *ἄμμε θρέψει* Ol. 9: 106, *γε θρέψαι* N. 2: 13.

Tertium positionis genus est, quum vox prior per literam mutam exit, altera a consona liquida incipit. Quum autem constet, nullam vocem Græcam,

exceptis procliticis, quæ vocantur, *οὐκ* et *ἐκ*, per alias consonas exire quam *ν ρ ς* (*ξ ψ*), facile intelligimus hujus positionis exempla non multa esse. Semper autem syllaba antecedens producitur. Ad exempla, quæ huc pertinent, sex junctas voces retuli, quarum prior pars per mutam exit, altera a liquida incipit. Exempla hæc sunt:

a) *in thesi:*

κλ: *ἐκλείψειν* Ol. 6: 51, *ἐκ λεχέων* P. 9: 37, I. 3: 40, *ἐκ λίχου* N. 4: 60, *ἐκ Λυκίας* Ol. 13: 58;

γμ: *πυγμαχία* Ol. 11: 12, N. 6: 25, *πυγμάχος* I. 7: 63;

κμ: *ἐκμαθών* I. 4: 50, *ἐκ μεγάλων* I. 7: 5, *ἐκ μεγάρων* P. 9: 29, *ἐκ μελαίνας* Fr. XI: 3: 1, *ἐκ Μελανίπποιο* N. 11: 37, *ἐκ μιᾶς* N. 6: 1, *ἐκ μυχῶν* P. 1: 22;

κν: *ἐκ νεκροῦ* P. 3: 43, *ἐκνεῦσαι* Ol. 13: 109, *ἐκ νεφέων* P. 4: 197, *ἐκνόμιος* N. 1: 56.

b) *in arsi:*

κμ: *ἐκ μαλθακᾶς* Ol. 2: 90;

κν: *ἐκ ναός* Ol. 6: 101.

Qui numeri ut facilius oculis subjiciantur, tabulas duas addo (vide paginam sequentem).

Has in tabulas apparet me ea exempla non retulisse, ubi vocalis, quam excipit muta cum liquida, natura longa sit, ut *πεπρᾱγμένος*, *πρᾱγμα* (cfr. *πέπρᾱγα* P. 2: 73, ionicam figuram *πρήσσω*), *Δάμᾱτρος* (cfr. *Λαμᾰ́τερος* I. 6: 4), *ἰᾱτρός* (cfr. ion. *ἰητρός*). Eodem modo omisi sedecim formas vocum *ἄεθλος*, *ἄεθλον*, sim., quarum vocales initiales synizesi, quam dicunt, in unum coaluerunt sonum. Deinde, quo certiora assequerer, prætermittendas esse censui et omnes syllabas, quæ aut in anacrusi ancipiti aut in arsi ancipiti legerentur, et fragmenta, in quibus deesset antistropha neque metrum pro certo statuere liceret, et eos locos, qui propter variam codicum lectionem in dubium vocari possent, ut Ol. 9: 83 *ἔσποιτο. προξενίᾳ*, P. 2: 61 *χαῦνα παλίδι*, N. 5: 34 *ἐφράσθη*, P. 9: 36 *ὅσια κλυτάν*, N. 3: 41 *ἀιρεκέϊ* (ubi propter v. 20 defendi potest lectio codicum *ἀιρεκεῖ*). Hoc autem modo plus quam centum locos consulto neglexi.

Si cetera, quæ numeris tabularum complexus sum, exempla consideramus, primum omnium apparet, quomodo inter se collocatæ sint vocalis et consonæ, permagni interesse. Si consonæ altera alterius sunt aut vocis aut membri vocis

Tabula positionis primi generis.

	Leguntur ante																									
	β longæ	β breves	γ longæ	γ breves	δ longæ	δ breves	omnes medias longæ	omnes medias breves	π longæ	π breves	κ longæ	κ breves	τ longæ	τ breves	omnes tenues longæ	omnes tenues breves	φ longæ	φ breves	χ longæ	χ breves	ϑ longæ	ϑ breves	omnes aspiratas longæ	omnes aspiratas breves	in summa longæ	in summa breves
λ	5	2	44	3	—	—	49	5	40	9	47	32	6	—	93	41	5	2	3	2	33	20	41	24	183	70
μ	—	—	8	—	26	1	34	1	—	—	9	10	11	10	20	20	—	—	3	—	16	13	19	13	73	34
ν	—	—	50	—	10	1	60	1	12	9	14	5	12	3	38	17	12	6	13	4	7	5	32	15	130	33
ϱ	29	7	16	5	27	12	72	24	17	15	73	32	121	91	211	138	60	14	11	2	21	8	92	24	375	186
Sa	34	9	118	8	63	14	215	31	69	33	143	79	150	104	362	216	77	22	30	8	77	46	184	76	761	323

Tabula positionis alterius generis.

	Leguntur ante																									
	β longæ	β breves	γ longæ	γ breves	δ longæ	δ breves	omnes medias longæ	omnes medias breves	π longæ	π breves	κ longæ	κ breves	τ longæ	τ breves	omnes tenues longæ	omnes tenues breves	φ longæ	φ breves	χ longæ	χ breves	ϑ longæ	ϑ breves	omnes aspiratas longæ	omnes aspiratas breves	in summa longæ	in summa breves
λ	—	—	19	8	—	—	19	8	2	21	14	15	—	2	16	38	1	—	—	—	—	—	1	—	36	46
μ	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—
ν	—	—	3	—	—	—	3	—	1	9	4	1	—	—	5	10	—	—	—	—	2	12	2	12	10	22
ϱ	10	14	1	—	2	5	13	19	32	69	29	31	16	17	77	117	15	14	29	28	8	5	52	47	142	183
Sa	10	14	23	8	2	5	35	27	35	99	47	47	16	19	98	165	16	14	29	28	10	17	55	59	188	251

junctæ, apud Pindarum non minus quam apud ceteros poetas Græcos semper positione producitur syllaba antecedens; quum utraque consona media in voce legitur, productionum numerus plus quam duplo major est quam correptionum; quum consonæ in fronte vocis alterius sunt collocatæ, syllaba antecedens sæpius corripitur quam producitur. Præcipue in hac re Pindarus locum quasi medium obtinere videtur inter Homerum, apud quem syllaba facilius corripitur, si vocalis in fine vocis quam si media in voce legitur, et poetas Atticos, qui numquam vocalem brevem et in fine vocis collocatam ante tenuem vel aspiratam cum liquida producunt.

Primum de iis exemplis disputabimus, in quibus et vocalis et consonæ ejusdem sunt vocis. Ad hoc primum genus omnia exempla pertinent, ubi vocalis aut est augmentum syllabicum, quod dicitur, aut in fine syllabæ reduplicatæ aut in fine prioris membri vocis junctæ legitur. Omnes autem hæ syllabæ apud Pindarum sæpius producuntur quam corripiuntur; qua re abhorret ab usu scriptorum fabularum, qui has syllabas semper fere pro brevibus habent. Mommsen ad Ol. 2: 15 contendit syllabas reduplicatas ante mutam cum liquida decies quater produci, duodecies corripi, sed re vera hi numeri augeri possunt. Producitur syllaba reduplicata apud Pindarum duodetricies (in perfectis *βέβλημαι* N. 1: 8, *ποικεκλιμένον* P. 1: 28, *κεκλημένον* P. 3: 67, *κεχλάδοντας* P. 4: 179, *κεχλάδειν* Fr. IV: 6: 3, *τέτμημθ'* I. 5: 22, *τεθναότ'* N. 10: 74, *πεπρωμένος* P. 4: 61, *πεπραγμένος* Ol. 2: 15, *κεκριμένος* N. 4: 1, 6: 2, *κεκρότηται* Fr. XI: 103: 1, *κεκραμένος* Fr. VII: 7: 1, N. 11: 36, *κέκρυπτο* Ol. 6: 54, *τετρωμένος* P. 3: 48, *πεφρίκοντας* P. 4: 183, *ἔγνωκε* P. 4: 287, *ἔγνωκας* Fr. XI: 87: 1; in aoristis *κέκλεν* I. 5: 53, *κέκλυτε* P. 4: 13, *ἔπεφνε* P. 10: 46, *πέφνε* I. 5: 31, P. 11: 37, Fr. X: 6: 1, *πέφνον* I. 4: 35; in præsentibus *ἀμπιπλάντες* N. 10: 57, *κικλήσκων* P. 4: 119), corripitur bis et vicies (in perfectis *κέκληνται* Ol. 7: 80, *κεχλαδώς* Ol. 9: 2, *τεθνακότων* N. 7: 32, *βεβρεγμένος* Ol. 6: 55, *βέβριθεν* Fr. X: 1: 3, *γέγραπται* Ol. 10: 3, *πεπρωμένος* I. 7: 33, Fr. XI: 153: 1, *πέπραγεν* P. 2: 73, *κέκριται* Ol. 2: 30, *κεκρύφθαι* Ol. 7: 60, *κέκραται* P. 10: 41, *κεκραμένος* Ol. 10: 104, P. 5: 2, *τετραμμένος* Ol. 4: 16, *τέτραπται* I. 4: 20, *πεφρικυῖαν* I. 5: 40; in aoristis *ἔπεφνε* Ol. 2: 42, 13: 87, Fr. XI: 54: 1, *πέφνε* Ol. 10: 28; in præsenti *κικλήσκοισιν* Fr. V: 1: 4). — (Eodem loco Mommsen docet formas a *παιρ-* incipientes tricies quinquies corripi, undetricies produci; ego correptas inveni quadraginta unam, productas undequadraginta). — Etiam major est cupiditas syllabæ producendæ, quum vocalis vice fungitur augmenti syllabici aut in fine

membri prioris vocis junctæ est collocata. Augmentum enim ante mutam cum liquida producitur duodequadragies (*παρεπλάγχθη* N. 10: 6, *ἔπλειο* P. 5: 105, *κατέκλασε* P. 5: 32, *ἔκλαγξε* P. 4: 23, *ἔτλαν* I. 6: 37, *ἀντέφλεξε* Ol. 3: 20, *ἀνέγνον* I. 2: 23, *ἔγνον* P. 4: 120, 9: 79, *ἔγνω* Ol. 7: 87, *ἐπέγνω* P. 4: 279, *ἀπέπνευσ'* P. 4: 11, *ἀπέπνευσεν* N. 1: 47, *ἀπέπνευσας* I. 6: 34, *ἐνέπνευσε* Ol. 8: 70, *ἔκνισε* P. 11: 23, I. 4: 52, *ἔκνιξεν* I. 5: 50, *ὑπέκνισε* P. 10: 60, *ἔβρισε* N. 8: 18, *ἔγραψε* Ol. 3: 30, *ἀμφέδραμεν* P. 3: 39, *ἀνέδραμον* Ol. 8: 54, *κατέδρακεν* N. 4: 23, *ἔπραθε* P. 9: 81, *ἀνέκραγον* N. 7: 76, *διέκρινε* Ol. 10: 46, *κατεκρίθη* Fr. XI: 13: 1, *ἐκράτει* N. 5: 45, *ἔκρινας* N. 9: 35, *ἐπέτραπεν* Ol. 3: 36, *ἔτρεψεν* I. 7: 10, *ἔτραπε* P. 3: 55, 9: 43, *ἔφριξε* Ol. 7: 40, *ἔχρεον* Ol. 7: 97, *ἐχρῆν* N. 7: 44, *ἐθρέψαντο* Ol. 6: 46), corripitur decies quinquies (*ἔβλαστεν* N. 8: 7, *παρέπλαγξαν* Ol. 7: 32, *ἔπλετο* P. 9: 109, *ἐκλάρωσεν* Ol. 8: 15, *ἔγραψε* N. 6: 7, *ἔδραμον* N. 1: 51, *ἔπραξε* P. 2: 40, 10: 11, I. 4: 7, *ἔπρασσεν* N. 3: 46, *ἐκράνθη* P. 4: 175, *ἐκράτησε* N. 10: 25, *κατέφρασε* Ol. 10: 55, *ἀνεφρόντισε* Ol. 1: 69, *ἔτρωσε* N. 10: 60).

Inter voces junctas præcipue annotandæ sunt eæ, in quibus a consonis excipitur alpha privativum, quod dicitur. Corripitur hoc alpha decies septies (*ἀκλάρωτος* Ol. 7: 62, *ἀγρυξία* Fr. XI: 150: 1, *Ἄδραστος* Ol. 6: 13, P. 8: 51, N. 8: 51, 9: 9, *Ἀδράστειος* N. 10: 28, I. 3: 44, *Ἀδραστίδαι* Ol. 2: 45, *ἄπρηκτος* I. 7: 7, *ἀπροσόρατος* Ol. 2: 67, *ἄκραντος* Ol. 1: 86, 2: 87, P. 3: 23, *Ἀτρείδας* Ol. 9: 70, P. 11: 31 (si Pott *Ἀτρεύς* recte idem atque *ἄ-τρεστος* (interritus) interpretatus est), *Ἀτρέκεια* Ol. 10: 13 (*ἀ-τρεκής* ad *τρέπω* retulit Curtius Grundz. p. 461); producitur autem tricies quinquies (*ἀβλαβής* Ol. 13: 26, P. 8: 54, *ἄγλωσσος* N. 8: 24, *ἄπλατος* P. 1: 21, 12: 9, Fr. IX: 7: 3, *ἄπλειος* I. 3: 29, *ἀκλεής* Ol. 12: 15, *ἄτλατος* Ol. 6: 38, N. 1: 48, *Ἄδματος* P. 4: 126, *ἄγνωμος* Ol. 8: 60, *ἄγνωτος* I. 3: 48, *ἄγνωστος* Ol. 6: 67, *ἀγνώς* I. 2: 12, *Ἄδρασιος* N. 10: 12, *ἄδρυς* Fr. XI: 23: 3, *ἀπρόσικτος* N. 11: 48, *ἀπρίατος* Fr. XI: 48: 8, *ἄτροπος* N. 7: 103, *ἀτραπός* Fr. VII: 4: 4, *Ἀτρεύς* Ol. 13: 56, *Ἀτρείδας* I. 4: 34, 7: 51, *ἀτρεκής* Ol. 3: 12, P. 8: 7, N. 5: 17, *ἀτρέκεια* Fr. XI: 129: 4, *ἀτρεμία* N. 11: 12, *ἄτρυτος* P. 4: 178, *ἄτρωτος* N. 11: 10, I. 3: 18, *ἄφρων* P. 8: 74, *ἀχρεῖος* Fr. XI: 68: 1, *ἀχρήμων* Fr. XI: 136: 4; ad quos numeros addi possunt sex exempla alpha copulativi, quod dicimus, *ἀθρόος* Ol. 13: 94, P. 2: 35, 4: 130, N. 1: 51, I. 1: 24, 4: 7). Etiam in ceteris vocibus junctis productio multo sæpius fit quam correptio; producuntur enim centum sexaginta fere syllabæ, corripiuntur fere sexaginta. Animadvertendum est tamen inter quinquaginta correptiones, quæ ante *βλ γλ πλ κλ φλ χλ* fiunt, non minus quam duodequa-

draginta aut in augmentum syllabicum aut in syllabam reduplicatam aut in finem prioris membri vocis junctæ incidere.

Quæ sit antecedens vocalis, parvi aut nihil interest. Quamquam enim vocales, quæ ante mutam cum liquida in eadem voce sequente producuntur, numeris valde inter se distant (producitur *α* undetrecenties, *ε* centies nonagies semel, *ο* centies undevicies, *ι* nonagies bis, *υ* sexagies), hoc minime in natura quadam vocalium situm est; quam ob rem valde erraremus, si ex. gr. alpha ad productionem quinquies tanto facilius quam ypsilon crederemus. Quod mox apparebit, si syllabas correptas inspexerimus. Inter correptas enim vocales plane eadem fit series: corripitur *α* centies vicies quinquies, *ε* undecenties, *ο* quinquagies semel, *ι* tricies bis, *υ* decies sexies. Si tamen in singulis vocalibus numerum productionum et correptionum inter se comparamus, apparet *ε* et *ο* paullo facilius corripi quam *α ι υ*. — Inter productiones alterius generis hæc est vocalium ratio: ex 188 vocalibus, quæ in exitu vocis positæ ante consonas sequentis vocis producuntur, 49 sunt *α*, 70 *ε*, 17 *ο*, 50 *ι*, 2 *υ*; ex 251 correptis 74 sunt *α*, 91 *ε*, 30 *ο*, 52 *ι*, 4 *υ*. Si numerum productionum et correptionum inter se comparamus, *ο* correptioni, *ι* productioni maxime favere videtur. — Ad vocalem, quæ est *ι*, præcipue est animadvertendum, apud Pindarum terminationem dativi singularis tertiæ declinationis non longiorem fuisse quam cetera iota; ut enim ex quinquaginta hujus vocalis productæ exemplis 15 dativi singulares sunt, ita inter quinquaginta duo correptionis exempla quindecim in hanc incidunt terminationem.

Ceterum non minus in altero quam in primo positionis genere difficile est certas leges invenire, quas poeta in syllabis producendis et corripiendis secutus esse dicatur. Quoniam productiones numero multo majores sunt quam correptiones, quum et vocalis et consonæ ejusdem sunt vocis, etiam in altero positionis genere credere potuimus productiones numero superare, quum vox per vocalem exiens vi ipsius sententiæ cum sequente voce a consonis incipiente tam arte cohæreret, ut ex duabus vocibus unum quasi corpus fieret (ut articulus cum substantivo, præpositio cum casu). Et re vera apud Homerum hanc legem valere observavit Hartel (III: 76). Sed ita non est apud Pindarum. Producitur quidem articulus *ὁ* bis (P. 2: 16, Fr. XI: 68: 3), *τό* bis (N. 9: 4, P. 11: 39), *τά* semel (Ol. 14: 6), sed corripitur *ὁ* septies (N. 7: 24, P. 5: 1, I. 5: 16, N. 3: 75, Ol. 9: 2, 6: 41, 7: 33), *τό* quater (P. 2: 56, 4: 280, N. 3: 49, 4: 69), *τά* semel (I. 7: 15). Eodem modo producuntur *ἀμφί* Ol. 12: 8, *ἀπό* Ol. 6: 13, P. 4: 133, 232, 12: 17, N. 5: 7, Fr. XI: 125: 3, *ἐπί* Ol. 1:

45, 6: 82, 7: 76, P. 3: 69, 9: 12, 24, I. 7: 45, *κατά* Ol. 10: 102, P. 4: 125, *παρά* Ol. 12: 10, N. 3: 47, 9: 49, I. 7: 3, *περί* Ol. 6: 50, *ποτί* Ol. 4: 5, P. 9: 118, N. 5: 37, *ὑπό* P. 11: 18, sed corripiuntur *ἀμφί* Ol. 2: 30, 10: 77, 13: 61, N. 1: 29, I. 2: 40, Fr. XI: 83: 1, *ἀπό* Ol. 7: 21, P. 3: 2, *διά* N. 7: 26, *ἐπί* Ol. 3: 22, I. 7: 58, *μετά* Ol. 1: 60, *παρά* Ol. 2: 70, P. 2: 25, *περί* Ol. 13: 43, Fr. IX: 2: 6, *ποτί* Fr. II: 2: 3, *ὑπό* Ol. 1: 19, 10: 30, N. 3: 60.

Neque magis interest, utrum post vocem per vocalem exeuntem fiat interpunctio necne. Quanta autem vis in carminibus Homeri interpunctioni sit attribuenda, inde apparet, quod ex trecentis nonaginta syllabis brevibus per consonam exeuntibus et ante vocem a vocali incipientem productis non minus quam centum quinquaginta quinque ante interpunctionem leguntur (Hartel I: 391). De interpunctione cfr. Hartel. I: 437 sqq. Apparet interpunctione quandam dicendi intercapedinem quamvis parvam effectam et hoc intervallo tempus antecedentis syllabæ auctum esse. Credere igitur licebat ad syllabam per brevem vocalem exeuntem ante mutam cum liquida producendam interpunctione aliquantum allatum esse subsidii, sed aliam hujus rei rationem esse apud Pindarum mox apparet, si productiones pervolutamus. Ex 188 syllabis per breves vocales exeuntibus et ante voces a muta cum liquida incipientes productis quinque solæ interpunctione majore excipiuntur (P. 4: 96 *ποδί. κλέπτων*, N. 8: 42 *αἰθέρα. χρεῖαι*, 10: 2 *ὑμνεῖτε· φλέγεται*, I. 7: 35 *παύσατε· βροτέων*, P. 9: 109 *ἔπλετο· χρυσοστεφάνου*), minore decem (P. 1: 8 *κρατί, γλεφάρων*, N. 5: 48 *ἴσθι, γλυκεῖαν*, I. 2: 19 *ιόθι, κλειναῖς*, Ol. 13: 3 *θεράποντα, γνώσομαι*, Ol. 10: 51 *ἄρχε, βρέχετο*, P. 9: 113 *παρθένοισι, πρίν*, Ol 3: 11 *ᾧ τινι, κραίνων*, N. 9: 25 *χθόνα, κρύψεν*, I. 7: 52 *ἐλύσατο, Τρωΐας*, I. 1: 11 *παῖδα, θρασεῖαι*). Quo quum accedat, quod syllaba per brevem vocalem exiens brevis servatur decies ante majorem interpunctionem (I. 6: 42 *αἰῶνα. θνάσκομεν*, P. 2: 88 *τηρέωντι. χρή*, N. 5: 49 *ἐπαύρεο. χρή*, I. 7: 15 *τά. χρή*, Fr. III: 10: 3 *φρενί· θνατᾶς*, N. 11: 46 *γυῖα· προμαθείας*, Ol. 10: 50 *προσεφθέγξατο· πρόσθε*, Fr. XI: 15: 1 *Μοῖσα· προφατεύσω*, P. 9: 39 *ἀμείβετο· Κρυπταί*, Ol. 6: 27 *δέξαντο· χρή*), sexies ante minorem (N. 4: 44 *ἐξύφαινε, γλυκεῖα*, Fr. IV: 4: 2 *ἔρεισμα, κλειναί*, Fr. IX: 2: 5 *φλογί, πρός*, P. 5: 110 *δποῖα, Κρονίδαι*, Ol. 2: 81 *ἔσφαλε, Τροίας*, I. 2: 11 *χρήματα, χρήμαι'*), apparet ad syllabam ante mutam cum liquida producendam nihil valere interpunctionem.

Eo magis autem interesse videtur, utrum syllaba in thesi an in arsi posita sit. Neque enim casu accidisse potest, ut inter 761 syllabas productas

quas ad primum positionis genus retuli, non minus quam 660 in thesi legantur. Quod etiam clarius in altero positionis genere apparet: inter 188 productiones tredecim solæ in arsi sunt positæ. Etiam apud Homerum eandem hujus rei esse rationem Hartel (I: 412) est auctor, quamquam eum exactis non usum esse numeris valde est dolendum. — Quum autem poetæ multo fuerit difficilius syllabam in arsi quam in thesi producere, etiam ex eo ipso, quod arsium productarum numerus plus quam altero tanto major est in primo quam in altero positionis genere, colligere possumus, syllabam ante mutam cum liquida facilius produci potuisse, quum et vocalis et consonæ ejusdem essent vocis, quam quum vocalis in fine vocis prioris legeretur.

Supra de collocatione syllabarum et de natura vocalium verba fecimus. Quum autem de positione ante mutam cum liquida agitur, facile intelligitur etiam consonas spectandas esse. Neque enim fieri potest, quin præcipue in iis linguis, quarum versus mensuræ syllabarum accommodati sunt, tempus syllabæ non solum in ipsa vocali sed etiam in consonis situm sit. Deinde viri docti si non demonstrarunt — id quod haud scio an de sermone ab usu intermisso fieri non possit — at tamen probabiliter conjecerunt ad aliam consonam appellandam aliud temporis spatium opus fuisse. Ut Hartel (I: 408): "Da nun die verschiedenen Arten der Consonanten und vor allen die Consonantengruppen nicht eine gleiche Zeit, um gebildet zu werden, erfordern, ist es von wesentlicher Bedeutung, ob auf einen Vocal ein oder zwei Consonanten folgen *und welche*". Et eodem modo Sievers [1] p. 161: "An und für sich aber giebt es weder ein allgemeines Gesetz, das nur eine *Zwei*theilung geböte, noch lässt sich irgend ein Grund absehen, warum nicht Quantitätsunterschiede auch bei Consonanten vorhanden sein sollten, noch lässt sich endlich ein bestimmtes Mass für das zeitliche Verhältniss von Längen und Kürzen aufstellen". Cfr. Alexanderson. p. 13. Et re vera viri docti, qui in re metrica consumpserunt laborem, animadverterunt, et utramque consonam nasalem, quam dicimus, μ, ν, productioni syllabæ favere, ante veras autem liquidas, λ et ϱ, syllabam facilius corripi posse, et inter mutas consonas productionem facillime fieri ante medias, quas vocant, inprimis ante γ. Quamobrem etiam in omnibus fere, quas vidi, grammaticis, eam legem inveni, ut syllaba longa esset, quum consonam mediam exciperet aut λ aut μ aut ν. — Si tamen carmina Pindarica adimus, in ipso primo positionis genere has leges perturbatas videmus. Si enim syllabas ante

[1] *E. Sievers:* Grundzüge der Phonetik. Zweite Auflage. Leipzig 1881.

singulas liquidas productas et correptas inter se comparamus, hoc assequimur: facillime correptio fit ante ϱ, deinde ante μ, tum ante λ, difficillime ante ν. Quod igitur ante ϱ facilius quam ante ceteras liquidas syllaba corripitur, cum lege, quam supra exposui, prorsus convenit; eo magis autem mirandum est, quod proxime ad hanc liquidam accedit nasalis μ, quam consonam Heliodorus ipse, teste Hephæstione, minus quam ceteras liquidas correptionem admittere observavit. Et si ad alterum positionis genus transimus, etiam majorem invenimus perturbationem. Exempla nasalis, quæ est μ, plane desunt; inter ceteras autem liquidas plane alius est ordo. Syllabarum ante ν correptarum numerus plus quam duplo major est quam productarum; aliquanto sæpius syllaba producitur ante λ et ϱ. — Deinde ad consonas mutas transimus. In primo positionis genere lex illa, quam de mediis observarunt viri docti, servata videtur. Corripitur syllaba facilius ante τ ϑ κ π quam ante φ χ β δ γ. Aspirata igitur, quæ est ϑ, excepta, is fit ordo, ut tenues maxime, mediæ minime correptioni faveant aspiratæque locum medium inter tenues et medias obtineant, sed ita, ut mediis multo sint propiores. Quidnam sit, cur ϑ hac tam præcipua condicione utatur, nescio. Hartel contra (I: 425, 444) contendit in literis aspiratis Græcorum geminæ consonæ naturam quodam modo interdum inesse, et commemorat apud Homerum ante φϱ, exceptis duobus locis, et ante χϱ, tribus exceptis locis, semper positione produci syllabas. Sed etiam apud Homerum ante ϑ non pauca exstant correptionis exempla; vide Kuehn. Gramm. I: 236. — Præcipue animadvertendum est inter omnes mutas mediam γ correptioni minime favere.

In altero positionis genere in minoribus numeris versamur; ante π δ ϑ β τ numerus correptionum major est quam productionum, ante κ æque sæpe corripitur et producitur, ante χ φ γ sæpius producitur quam corripitur syllaba. Etiam hoc igitur in positionis genere ante ϑ facile fit correptio, ante γ facillime productio.

Si hæc comprehendimus, credo me ostendisse Pindarum medium locum obtinere inter Homerum et poetas Atticos. Ut omnino sæpius producendo quam corripiendo ad Homerum propius accedit, ita eandem atque poetæ Attici viam ingressus est, quum etiam ante μ et ν correptionem admittat; quid, quod nonnumquam syllabam corripuit ante βλ γλ δμ δν, e quibus consonarum conjunctionibus δμ et δν numquam syllabam corripi patiuntur apud Atticos

Quamquam Alexanderson (p. 17) jure suo contendit, positionis ante mutam cum liquida usum alium fuisse in aliis dialectis, tamen non crediderim, hanc usus licentiam, quam apud Pindarum vidimus, ad Doricæ et Aeolicæ dialectorum

colorem, quo sparsa sunt carmina Pindarica, referendam esse. Certe ad hoc confirmandum omnia argumenta nobis desunt, et omnino quænam fuerit ratio positionis ante mutam cum liquida in dialectis Dorica et Æolica ignari sumus. Verius autem Boeckh (de metr. Pind. p. 289) productiones ante has consonarum conjunctiones ad epicæ dialecti imitationem retulisse videtur. Neque alio modo intelligere possumus, quidnam sit, cur Pindarus hac in re ab usu Aeschyli, poetæ æqualis, tantum distet. Correptiones autem, quas ante mutam cum liquida admisit Pindarus, ab eo sermone, qui ætate Pindari florebat, repetendas esse censeo. In usu positionis nullum est discrimen inter ea carmina, quæ poetæ juveni et quæ seni debentur. Ut in carmine Pyth. decimo, quod omnes pro vetustissimo habent, plures sunt correptiones quam productiones media in voce, id quod nisi in hoc et in Olymp. decimo videre non licet. Neque tamen nihil interest, quomodo productiones et correptiones in singula distributæ sint carmina. Media in voce

Ol.	produ-cuntur	corri-piuntur	Pyth.	produ-cuntur	corri-piuntur	Nem.	produ-cuntur	corri-piuntur	Isthm.	produ-cuntur	corri-piuntur
I	14	10	I	21	5	I	24	4	I	17	8
II	19	16	II	17	15	II	4	0	II	10	5
III	17	4	III	19	5	III	13	5	III	20	7
IV	1	1	IV	78	8	IV	17	12	IV	12	8
V	7	0	V	14	8	V	14	2	V	22	6
VI	29	10	VI	7	7	VI	7	5	VI	13	4
VII	23	10	VII	2	1	VII	18	14	VII	15	5
VIII	16	9	VIII	13	8	VIII	13	8			
IX	19	4	IX	33	9	IX	8	2			
X	15	19	X	11	13	X	23	15			
XI	3	0	XI	11	10	XI	13	5			
XII	4	0	XII	8	1						
XIII	21	13									
XIV	6	2									
S:a	194	98	S:a	234	90	S:a	154	72	S:a	109	43

Quum satis constet, et numeros dactylo-epitriticos pedibus dissolutis, anacrusibus præfixis, versibus ad alia numerorum genera pertinentibus admixtis aliquantum immutari, et celeritatem numerorum logaoedicorum multis rebus mitigari posse, eamque ob rem sæpe difficile esse ad dijudicandum, utrius ad numerorum generis leges conditum sit unumquodque carmen Pindaricum, quat-

tuordecim elegi carmina, quorum numeri ad dactylo-epitriticum genus pertineant, Ol. III, XI, XII, P. I, III, IV, IX, XII, N. I, V, IX, XI, Isthm. II, V (undecim ex his Alexanderson p. 249 ad hoc numerorum genus traxit). In his carminibus sunt ante mutam cum liquida ducentæ septuaginta quattuor productiones, quinquaginta sex correptiones. — Tum elegi quattuordecim carmina, quorum numeri magis sint logaoedici: Ol. I, II, IV, XIII, P. II, V, VI, VII, VIII, X, XI, N. IV, VI, VII (Alexanderson p. 250 eodem modo judicat, excepto Ol. XIII, de quo ipse dubito). In his carminibus sunt centum septuaginta duæ productiones, centum triginta tres correptiones. Videmus igitur in carminibus logaoedicis correptiones multo facilius admitti quam in dactylo-epitriticis. Deinde ad alterum positionis genus transimus, ubi

Ol.	produ-cuntur	corri-piuntur	Pyth.	produ-cuntur	corri-piuntur	Nem.	produ-cuntur	corri-piuntur	Isthm.	produ-cuntur	corri-piuntur
I	9	13	I	5	5	I	3	4	I	1	3
II	1	7	II	6	11	II	0	1	II	3	4
III	6	4	III	8	6	III	3	11	III	4	3
IV	2	1	IV	19	23	IV	5	6	IV	1	2
V	1	0	V	1	8	V	5	4	V	4	2
VI	12	8	VI	2	5	VI	0	8	VI	0	2
VII	5	7	VII	0	0	VII	1	14	VII	10	5
VIII	5	4	VIII	1	6	VIII	5	4			
IX	1	3	IX	6	7	IX	6	1			
X	6	10	X	4	3	X	5	7			
XI	0	1	XI	2	3	XI	4	2			
XII	3	0	XII	3	1						
XIII	5	8									
XIV	3	1									
S:a	59	67	S:a	57	78	S:a	37	62	S:a	23	21

Si etiam hic eadem carmina dactylo-epitritica et eadem logaoedica examinamus, comparent numeri, quibus, quæ antea in primo positionis genere assecuti sumus, mirum in modum confirmantur. In quattuordecim illis carminibus dactylo-epitriticis producitur septuagies quinquies, corripitur sexagies quater; in quattuordecim carminibus logaoedicis productiones sunt undequadraginta, correptiones nonaginta tres. Hoc casu aliquo factum esse non facile credo quemquam sibi persuasurum esse. Ab ipsorum numerorum natura potius hoc discrimen est repetendum. Ipsa tarditate, qua majestas numerorum dactylo-epitriticorum

imbuta erat, factum est, ut pro longis haberentur syllabæ, quas subtiles Græcorum aures ancipites judicarent. Et eodem modo in numeris logaoedicis, qua erant celeritate vehementi et varia, præ motibus concitatis sæpe non licebat eas syllabas pro longis habere, quas excipiebant conjunctiones consonarum tam leves quam muta cum liquida.

Ante omnes ceteras consonarum conjunctiones producitur antecedens syllaba. Neque tamen desunt, quæ et apud Homerum et apud poetas recentiores ab hac lege abhorreant, quamvis sint pauca (v. Alexanderson. p. 19, Hartel. I: 410), et nonnullis locis varias lectiones exhibeant codices. Restat igitur, ut Pindarica productionis ante duas consonas omissæ exempla in examen vocemus.

Omnes autem, qui huc spectant, locos in tres ordines distribuere placet. In primo ordine vocalem excipiunt spirans et liquida, in secundo duæ liquidæ, in tertio duæ mutæ (vel spirans cum muta). Ad primum ordinem pertinent tres adjectivi *ἐσλός* figuræ, quæ sunt *ἐσλοῦ* Ol. 13: 96, *ἐσλοῖσι* P. 3: 66, *ἐσλοῖς* N. 4: 95 (Ol. 2: 19 non desunt, qui *ἐσλῶν*, pænultima correpta, legant, quod tamen propter v. 99 minus certum videtur; mirum in modum et Hermann p. 8 et Peter p. 18 et Mommsen Suppl. p. 18 et Bergk ad Ol. 2: 19 et Alexanderson p. 19 *ἐσλοῦ* Ol. 13: 96 correptum ignorant). His tribus locis neque de lectione neque de mensura vocis est dubium. Neque quisquam, quantum equidem scio, recusavit, ne has agnosceret correptiones, præter Hermannum (l. a.), qui putat antiquam vocabuli formam *ἐϑελός* fuisse "servatam ut tot alias in Germanico *edel*. Ex qua forma quum medium ε ejiceretur, factum est *ἐϑλός*, jure suo primam corripiens; quod quum Dorienses *ἐσλός* pronunciarent, hoc pro *ἐϑλός* Pindaro obtruserunt grammatici. Cæteri Græci, invitante ipsa littera *ϑ*, *ἐσϑλός* dixere." Quam originationem Mommsen disertius improbare debebat ad Ol. 2: 19. Jure suo Boeckh Doricam figuram *ἐσλός* ubique restitui jubet, et Bergk *ἐϑλός* Hermannianum plane inauditum dicit. — Quod autem Mommsen l. a. contendit, correptionem ante *μν*, *πτ*, *σκ* facilius quam ante *σλ* admitti debere, non credo quemquam approbaturum esse. Si enim muta cum liquida inter omnes consonarum conjunctiones facillima est ad syllabam antecedentem corripiendam, necesse est proxime ad hanc consonarum conjunctionem accedat spirans cum liquida. Neque magis credibile est, Pindarum metricis causis adductum, ut pænultima brevi uti posset, dialecticam formam *πεϑμός* pro *ϑεσμός* assump-

sisse. Si hæc esset causa, difficile sane esset ad intelligendum, quid prohiberet, ne ubicunque longa opus esset pænultima ad θεσμός rediret poeta, vel quidnam esset, cur δῦθμά κεκᾱδμένος diceret. Inter mensuram figuræ τεθμός et figuræ θεσμός non credo multum interfuisse. Curtius Grundz. p. 379 ἐσ-θλό-ς ad radicem ἐς (εἰμί) referendum esse censet. Bergk l. l. probare studet, ἐσλός neque Doricum neque Aeolicum sed Pindaro et Boeotorum sermoni peculiare fuisse; aliter autem judicant Ahrens I: 74, II: 112, Meister Dial. I: 150.

Ad eundem ordinem ἀπϝροηγνύμεναι, ἀπέϝρυψε sim. referenda esse censerem, si pro certo statuere liceret ætate Pindari spirantem labialem media in voce ante liquidam ϱ appellatam esse; quod tamen non credo; cfr. pag. 62.

Correptionis ante duas liquidas unum exstat exemplum apud Pindarum. Ol. 1: 59 in omnibus codicibus vetustis et aliquot interpolatis est ἀπάλαμνον, correpta pænultima, quod tamen omnes recentiores editores, nonnullis præeuntibus Byzantinis, in ἀπάλαμον correxerunt. ἀπάλαμνος ad παλάμη est referendum (fortasse pro ἀ-παλαμ-ινο-ς, auctore Curtio, Grundz. p. 666). Re vera ἀπάλαμος perpaucis aut nullis Græcæ linguæ monumentis nititur. Ut ἀπάλᾰμνος est apud Homerum (Il. 5: 597), Simonidem (Fr. 5: 3), Solonem (ἀπάλᾰμνα Fr. 27: 12), Theognidem (ἀπάλᾰμνα 281, 481), Euripidem (ἀπάλᾰμνον Cycl. 598), Pindarum (ἀπάλᾰμνοι Ol. 2: 57). ἀπάλαμος non est nisi nostro loco apud aliquot Byzantinos et apud Hesiodum Op. 20, ubi tamen in nonnullis codicibus melioris notæ est ἀπάλαμνος. Correctionibus autem Byzantinorum non nimiam habendam esse fidem et ex aliis rebus apparet et inde, quod Ol. 2: 57, ubi longa opus est pænultima, in codice, quem litera *a* significavit Mommsen, legitur ἀπάλαμοι. Quum igitur consideremus et quam sint infirma testimonia figuræ ἀπάλαμος et apud utrumque Boeotiæ poetam summam esse correptionum licentiam (Momms. Suppl. p. 6) et correptionis ante μν exempla et apud Atticos et apud Alexandrinos poetas exstare (cfr. Alexanderson. p. 19), nescio an ἀπάλαμνον̆ defendi possit.

Eodem jure dubitari potest, an Ol. 10: 80 veram lectionem (πυρπάλαμνον) servaverint codices, quos Mommsen literis C F O signavit, inter quos C ad sæculum duodecimum exiens retulerunt viri docti. Neque tamen negari potest apud Pindarum geminas nonnullarum vocum figuras exstare, alteram per -μος, alteram per -μνος exeuntem. Ut et metro et consensu codicum confirmantur ἀνώνυμον Ol. 1: 82, δίδυμος Ol. 5: 5, 6: 65, P. 2: 9, 3: 72, 4: 79, 178, 209, 9: 86, N. 1: 36, 6: 57, 9: 4, I. 3: 9, 7: 17; sed Ol. 10: 51 metro postulante hodie legitur νώνυμνος et Ol. 3: 35 διδύμνοις, quamquam in vetustis co-

dicibus sunt *νώνυμος* (*νώνυμον*) et *διδύμοις* (*διδύμοισι*). Etiam Ol. 13: 21 in omnibus codicibus est *δίδυμον*; quem tamen versum, quum ab aliis aliter distribuatur, hic prætereundum censeo.

Productionis ante spirantem cum muta neglectæ unum exstat exemplum N. 7: 61 *εἰμὶ· σκοτεινόν*, quam lectionem codicum hodie omnes fere editores suscipiunt, sine dubio Homerica illa *ἔπειτα σκέπαρνον* Od. 5: 237, *ὅς ῥα Σκαμάνδρου* Il. 5: 77, al. l. (est etiam apud Hesiodum *τε Σκάμανδρον* Theog. 345), Hesiodeum *τε σκιῇ* Op. 589 respicientes. (N. 6: 27 *ἄντα σκοποῦ τυχεῖν* jam dudum est correctum, utpote quod negligentia librariorum sine dubio sit ortum). Boeckh ipse, qui in editione priore correxerat *εἰμι· κοτεινόν*, postea lectionem codicum probavit, quam tamen Hermann suspectam habuit, Bergk etiamnunc in notis criticis haud dubie vitiosam appellat. Knös autem (p. 150) ante spirantem cum muta correptionem facilius quam ante duas mutas admitti arbitrari videtur. Animadvertendum est et in hac correptione et in Homericis et Hesiodea, quas supra attuli, vocalem in fine prioris vocis, utramque consonam in sequentis vocabuli fronte esse positam.

Multo magis dubiæ mihi videntur correptiones ante *στ*, ad quas nunc venimus: *ἕστειλαν* Ol. 2: 70, *Ἐρᾰσιδᾶν* Ol. 7: 98, *θαυμασιάν* P. 10: 30, quamquam *θαυμασιάν* omnium, *Ἐρασιδᾶν* et *ἕστειλαν* plurimorum vetustorum et Thomanorum codicum auctoritate confirmantur, et formæ literis *στ* instructæ etiam apud nonnullos scholiastas occurrunt. Itaque Boeckh, Bergk, Mommsen, Christ, Rumpel correctiones *ἔτειλαν Ἐρατιδᾶν θαυματάν* acceperunt. Apud Hesiodum (Scut. 165) in nonnullis codicibus est *θαυμαστά*. Eratidarum gentem ab Erato, quem regem Argivorum fuisse Pausanias est auctor, nomen duxisse, Mommsen ipse demonstrari non posse confitetur. Græci et *Ἔρασιος* et *Ἔρατος* pro nominibus propriis habuerunt. — Quum autem et exempla syllabæ ante *στ* correptæ apud alios poetas desint et constet in codicibus Pindari sæpe literam *σ* perperam inculcatam esse (ut *ἔσχεν* pro *ἔχεν* Ol. 9: 61, P. 4: 79 in aliquot vetustis, I. 7: 29 in Mediceis, *ὄπισθεν* pro *ὄπιθεν* Ol. 3: 31 in nonnullis vetustis, Ol. 10: 35 in plurimis vetustis, N. 7: 101 in omnibus, non possumus has tres ante *στ* media in voce correptiones suspectas non habere.

Restat igitur correptio ante *πτ*, *Νεοπτόλεμος* N. 7: 35, de qua voce variæ sententiæ prolatæ sunt. Ut Boeckh in not. crit.: "in voce *Νεοπτόλεμος*", inquit, "aut secunda corripitur, ut apud Homerum prima in *Ἰστίαια*, secunda in *Αἰγύπτιος* et similia: quod eo facilius fieri poterat, quum *Νεοπόλεμος* pronunciari posset: aut duæ priores contrahuntur, ut sæpe in hoc ipso nomine". Re vera his

verbis Boeckh omnes fere hujus vocis explicandæ rationes ostendit. Christ igitur contra omnium codicum auctoritatem in contextum carminis figuram *Νεοπόλεμος* intulit; sed etiamsi cum Boeckhio et Hartelio (III: 12) concedimus, propter *πόλεμος* et *πτόλεμος* a poetis epicis promiscue usurpata in voce pronuntianda consonam *τ* supprimi potuisse, tamen quam formam nominis Achillis filii proposuit Christ, plane inaudita est; ne ceteri quidem editores ei assensi sunt. Apud Pindarum ipsum *Νεοπτόλεμος* (⏑–⏑⏑⏑) bis legitur, N. 4: 51, 7: 103. — Alteram explicandi rationem, qua tres primas vocis syllabas aut contractione aut synizesi, quam dicimus, trochæum efficere voluerunt, amplexi sunt Rumpel (*Νεοπτόλεμος* scribens) et Bergk (metrum ⏑⏑ signans), quæ sententia eo quoque confirmari videtur, quod apud poetas *Νεοπτόλεμος* sæpe quattuor est syllabarum. Ad Soph. Phil. 4 Nauck suspicatur pro *εο* in hoc nomine aut *ου* aut *ευ* per totam fabulam appellatum esse. Cui tamen contractioni aliam explicandi rationem anteponere velim. Constat enim multas vocalium immutationes, quas olim ad synizesim vulgo referebant, hodie ita explicari, ut vocalis prior (*ι, υ, ε*) ad semivocalem transiisse statuatur. Hoc modo etiam *Νεοπτόλεμος* N. 7: 35 explicavit G. Meyer § 148, quamquam errore syllabam *Νεοπι* brevem significavit et cum *θεός* P. 1: 56, *βροτέον* P. 10: 28, *τεόν* Praxill. Fr. 1 contulit. Ne autem *Νεοπτόλεμον* quattuor syllabarum interpretemur, id suadere videtur, quod apud Pindarum rarissime solum medio in versu pro binis brevibus singulæ longæ adhibentur [1]; poetis lyricis non eadem est licentia metrica at-

[1] Pro binis brevibus singulas longas his locis inveni: a) *pro dactylo legitur spondeus* Ol. 5: 18, 10: 99 (in nominibus propriis); b) *in basi pro tribrachye legitur iambus* Ol. 2: 62 (vide not. crit. Mommseni; novies a ternis brevibus incipit hic versus); c) *in anacrusi* N. 6: 64 (a binis brevibus incipiunt vv. 20, 42); d) *medio in versu legitur trochæus pro tribrachye* P. 5: 58 (tribrachys est in vv. 29, 87, 116), N. 3: 20 (tribrachys est in vv. 62, 83; de versu 41 nihil potest pro certo constitui; cfr. p. 103; Christ ubique tribrachyem legit).

Sæpius fit, ut singulæ longæ in binas breves dissolvantur: a) *in basi legitur tribrachys pro iambo* Ol. 1: 20, 38, *anapæstus pro spondeo* Ol. 10: 57, N. 6: 65, *tribrachys pro trochæo* P. 5: 29 (producitur autem trochæus, ut fiat spondeus v. 87); b) *in anacrusi* I. 7: 52; c) *in dactylis* P. 11: 9, 41, 57, N. 7: 70, I. 3: 63; d) *in initio cretici pedis* sæpius; e) *in fine cretici pedis* sæpius; f) *pro prima longa epitriti* sæpe; g) *pro secunda epitriti longa* N. 5: 10, 6, 12, I. 3: 72; h) *ut fiat tribrachys pro trochæo medio in versu* Ol. 13: 78, P. 5: 27, 85, N. 3: 14 (ubi tamen de lectione dubitari potest; Ol. 8: 16 Mommsenum jure suo vituperat Bergk, quod lectionem *ὃ σὲ μέν* probavit; *γαρύεται* P. 5: 68 est conjectura Mommseni, *μελανοτειχέα* Ol. 14: 20 Boeckhii); i) *trochæus syncopatus in duas breves dissolutus videtur* Ol. 10: 105 (secundum distributionem Bergkii), I. 7: 25, 35, 45.

que epicis. Quisquis igitur hanc interpretationem agnoscere dubitat, necesse est syllabam *οπι* pro correpta habeat. Exempla hujus modi correptionis, quæ ex carminibus Homeri repetivit Boeckh quæque Westphal ipse tuetur, prætermittenda sunt illa quidem, quum hodie alio modo ea melius interpretentur viri docti, de qua re vide Hartel. III: 12 sqq., Meyer. Gr. § 144, Knös. pp. 150—152; sed nihilo minus et in editione Dissen-Schneidewiniana et apud Mommsenum hæc syllaba correpta signatur, quamquam hæc correptio Mommseno (ad Ol. 7: 98) est suspecta. In nomine proprio tamen licentia metrica fortasse minus est admiranda; et huc accedit, quod in codicibus Pindaricis non desunt alia ante *πι* correptionis exempla; ut P. 2: 1 scriptum est *βαθυπτολέμου*, brevi secunda, in tribus vetustis et tribus Thomanis, Ol. 2: 7 *ὀρθόπτολιν* in quinque vetustis (inter quos est Ambrosianus, optimus codex), Ol. 4: 16 *φιλόπτολιν* in Ambrosiano solo, P. 9: 54 *ἀρχέπτολιν* in duobus vetustis. De his lectionibus satis sit verba Mommseni (ad Ol. 2: 7) afferre: "Illud *πι*", inquit, "quomodo optimis libris irrepserit, nisi olim in textu fuerit, non assequor." Fortasse animadvertendum est has correptiones nisi ante *πτόλεμος* et *πτόλις* non admitti, quibus in vocibus Curtius Grundz. p. 489, præeunte Kuhnio, *τ* ex *γ* ortum esse arbitratur.

III.

De prosodia Pindarica annotationes.

Hac postrema opusculi mei parte, quæ in mensura syllabarum, quæ nullam patiuntur positionem, observavi, complexus sum. Primum verba faciemus

De correptione diphthongi (longæ vocalis) ante vocalem media in voce.

Satis constat eam legem, quæ apud Latinos jubet vocalem ante vocalem media in voce corripi, nonnumquam etiam apud Græcos valuisse; Alexanderson p. 10 docet hujusmodi correptionem in vocibus, quæ sunt *τοιοῦτος οἷος ποιεῖν*, sæpissime admitti. Apud Pindarum hæc annotavi exempla:

Diphthongus αι ter corripitur: *Γαιάοχῳ* Ol. 13: 78, *αἰόλει* P. 4: 233, ubi diphthongum omnes codices testantur, *παλαιῶν* P. 9: 105, ubi lectionem Bergki-

anam præferendam esse censeo. *Κλεωναῖον* N. 4: 17 autem ne huc numeretur, prohibet *Εὐξείνῳ*, quod v. 49 est in vetustis libris.

Diphthongus οι semel corripitur: *τοιᾰῦτα* P. 8: 55; huc enim adnumero neque *παντοίων* N. 5: 25, quum hæc syllaba ceteris locis semper longa sit (v. 7 *καί*, v. 19 *χειρῶν*, v. 37 *Ποσειδάωνα*, v. 43 *μεταΐξαντα*) excepto versu primo *ἀνδριαντŏποιός*, neque *ποίᾳ* P. 8: 20, quum hic versus bis a quaternis longis syllabis incipiat (v. 40 *υἱοὺς Θήβαις*, v. 80 *νίκαις τρισσαῖς*).

Diphthongus ευ corripitur in *ἰχνεῠων* P. 8: 35, *ἔχεῠαν* I. 7: 58, ubi multi editores contra auctoritatem codicum *ἰχνέων* et *ἔχεαν* scribunt.

Diphthongus ῳ corripitur in *παιρῴων* N. 9: 14.

Diphthongus υι corripitur in *υἷέων* N. 6: 22.

Diphthongus αυ corripitur in *αὐάταν* P. 2: 28, 3: 24.

Diphthongi ει correptæ plura exstant exempla; primum in his formis adjectivi, quod est *ἵππειος*, corripitur pænultima: *ἱππεῐῳ* Ol. 1: 101, *Ἱππεῐᾳ* Ol. 13: 79, *ἵππεῐον* P. 2: 12, *ἱππεῐᾶν* vel *ἱππεῐας* P. 6: 50, *ἱππεῐων* N. 9: 9. In *ἱππείοις* Ol. 13: 20, N. 9: 22, *ἵππειον* Ol. 13: 65 diphthongus longam explet syllabam; I. 6: 11 omnes codices, uno Tricliniano excepto, habent *ἵππιον*, quæ forma nunc nullis aliis locis apud Pindarum legitur. — Deinde diphthongus *ει* corripitur in *βατεῐᾳ* Ol. 6: 54, *Αἰάντειον* Ol. 9: 112, *εὐσεβεῐας* Ol. 8: 8, *δουλεῐας* P. 1: 75, *μαντεῐων* P. 11: 6, *λαιρεῐαν* N. 4: 54, *Ἀρεῐας* N. 9: 41, *Θειαῖος* N. 10: 24, *Θειαῖε* N. 10: 37, *Κλειοῦς* N. 3: 83. Omnibus fere his locis mira est inter veteres codices consensio, quam confirmant nonnumquam et codices recentiores et scholia. De *Ἰσμήνειον* P. 11: 6 autem et de *εὐμενείᾳ* P. 12: 4 fluctuant codices, quamobrem hæc exempla negligo. P. 3: 16 pro *νυμφιδίαν*, quod omnes fere codices exhibent, audacius est *νυμφεῐαν* inculcare. I. 5: 29 codices *Λαομεδοντίαν* offerunt (cfr. v. 63 *Ψαλυχῐδᾶν*), sed sive *Λαομεδοντείαν* cum Mommseno sive *Λαομεδοντειᾶν* cum Bergkio scribimus, non necesse est brevem diphthongum statuamus, quum hic versus quater (str. *α*, *γ*, antistr. *α*, *β*) ab epitrito secundo incipiat. — Neque huc adnumerare possumus *Καδμεῖοι* N. 4: 21 (præ *Λωδώναθεν* v. 53 et *Γαδείρων* v. 69). — *ἱέρεια* P. 4: 5 Christ accepit, auctoritate unius codicis fretus sed aperta verba scholiastæ negligens.

Vocalis ω corripitur in *ἥρ῰α* P. 3: 7, *ἥρ῰ες* P. 4: 58, Fr. X: 4: 5, *ἥρωας* P. 1: 53, *ἡρῷῐαις* N. 7: 46. *ἥρωας* N. 4: 29 in medio relinquo. Fr. VI: 9: 4

Mommsen Boeckhium secutus correptam signavit pænultimam nominis *Πτώου*; quod tamen nimis confidenter fecisse videtur; nulla enim est similitudo antistrophica. Bergk et Christ legunt *Πτῶϊον* et versum hoc modo modulantur –⏑⏑–⏑⏑––|–⏑––|–⏑⏑–⏑.... *Τρωΐα* quomodo scribendum sit, quum metrum brevem desiderat syllabam, inter viros doctos minus convenit. Mommsen hanc quoque quæstionem ad idem correptionis genus revocavit et fidem omnium codicum sequens I. 7: 52 *Τρωΐας*, N. 4: 25 *Τρῳΐαν*, N. 7: 41 *Τρωΐαθεν* scripsit. Quæ quum ita sint, longa vocalis restituenda videtur etiam N. 3: 60, ubi fluctuant codices, et N. 2: 14, I. 5: 28, ubi brevis est in libris manu scriptis.

Consulto huc non retuli *α* et *ι* ante vocalem correptorum exempla, quæ cum iis, quæ supra attuli, Mommsen Suppl. p. 175 conjunxit. Neque enim decernere ausim, utrum hæ correptiones collocationi harum vocalium, quod ante alias vocales sunt positæ, debeantur, an natura sint breves. De his exemplis infra verba faciam.

Omnia hæc exempla in arsi leguntur excepto *Τρωΐαν* N. 3: 60, ubi *Τρω* secundam syllabam thesis trochaicæ solutæ explet. Omnino editores hanc diphthongorum correptionem non facile patiuntur; cfr. Boeckh. de metr. Pind. p. 289, not. crit. pp. 424, 492. Mommsenum, qui in correptis diphthongis suscipiendis fidem sequitur codicum, vituperat Bergk Proleg. p. 40; defendunt autem correptionem G. Meyer Gr. §§ 151, 154, 156 et Hartel, qui in Studiorum Homericorum tertia parte de hac re copiose disputat. Hartel etiam ipsam causam hujus correptionis ostendere conatur, id quod Mommsenum prorsus neglexisse jure suo animadvertit Bergk. Si igitur Hartelium sequimur, causa correptionis diphthongorum inde est repetenda, quod altera diphthongi vocalis (*ι υ*) in semivocalem (*i̯ u̯*) abiit; *τοιαῦτα* P. 8: 55 et *τοι ἔμπαν* N. 10: 82 eodem modo explicantur. Correptio autem diphthongi, quæ media in voce fit, numerorum et pedum dactylicorum moderatione non adeo est astricta quam correptio diphthongi finalis: ex triginta sex exemplis sedecim in trochaicis, viginti in dactylicis pedibus leguntur. — Contra hanc explicandi rationem duo fortasse afferri possunt. Primum, quum vocales *ι* et *υ* in semivocales *i̯* et *u̯* abeunt i. e. vicibus consonæ funguntur, etiam fit, ut sensim attenuentur, deinde prorsus evanescant (Bergk l. a.), id quod in omnibus dialectis, præcipue in Aeolica, sæpe factum esse videmus. (Cfr. Meyer. Gr. § 152, Meister. Dial. I: 89). Ut *ποεῖν* pro *ποιεῖν* sæpissime invenimus. Sed in hujusmodi quæstionibus nescio an nihil nisi auctoritas codicum nobis tenendum sit et eorum quidem, qui interpolationibus Byzantinorum vacant. Inter figuras *τοιαῦτα* et *τοαῦτα* necesse est statua-

mus figuram intermediam *τοϳαῦια*, quam Græci, quippe qui, Cypriis exceptis, nullo iota consonæ signo uterentur, *τοιαῦια* (correpta antepænultima), scriberent. Quomodo autem *τοϳαῦια* (*τοιαῦτα*) pronuntiatum sit, pro certo dijudicare non possumus (vide Hartel. III: 42); difficile autem est ad intelligendum, quidnam sit, cur diphthongum optimus quisque codex servaverit, nisi in antiqua scriptura fuerit olim.

Rectius contra Hartelium afferre licet hoc modo non explicari *ἥρωα Τρωΐα παιρῶϊος*. Hartel autem (III: 15) hanc correptionem ad peculiarem quandam naturam vocalis *ω* harum vocum spectare docet. Meyer contra (§ 156) ad Corssenium (II: 682) nos allegat.

Hoc loco non alienum puto cetera vocalis in semivocalem immutatæ exempla Pindarica commemorare. Hartel enim (III: 18) nonnulla enumerat vocalis *ι* in semivocalem *ϳ* translatæ exempla, alia ex aliis poetis Græcis collecta. Quæ ex carminibus Pindaricis assumpsit exempla, singula inspiciamus.

N. 6: 30 *ἀοιδοὶ καὶ λόγιοι* (⏑– – – ⏑ –) confirmant omnes codices (excepto B, de quo vide annot. Mommseni) et scholiastæ. *λόγιοι* Mommsen in majorem editionem intulit, approbante Mezgero; Boeckh et Dissen *ἀοιδοὶ καὶ λόγοι* legunt, ceteri editores correctionem Pauwianam *ἀοιδαὶ καὶ λόγοι* acceperunt. Comparandum est P. 1: 94 *καὶ λογίοις καὶ ἀοιδοῖς*.

Ol. 2: 97 lectio veterum *χρύφιόν τε θέμεν* fuisse videtur (*χρύφον* quidem correctionem esse Aristarchi satis constat). Ita autem *χρύϕϳον* pronuntiatum est (pænultima correpta, quamquam sequuntur *φ* et *ι* consona).

Ol. 2: 4 *ἀκροθίνια* exhibent duo codices, *ἀκροθίνιον* unus, *ἀκρόθινα* ceteri. Cfr. schol. "*ἀκροθόνια πολέμου· Ζηνόδοτος μετὰ τοῦ ι γράφει ἀκροθίνια.*" — Ol. 10: 57 est *ἀκροθίνια* in E, in ceteris *ἀκρόθινα*. (Glossa Moschopulea *ἀντὶ μιᾶς συλλαβῆς* ad metrum ⏑ ⏑ spectat). Neque igitur his locis figuræ *ἀκροθίνια* magna est codicum auctoritas. Sed tenendum est veram hujus substantivi figuram esse *ἀκροθίνια*. *ἀκρόθινα* nisi ex carminibus Pindari non est notum. Quo accedit, quod, si vocalem *ι* in semivocalem *ϳ* transiisse statuimus, nulla fit difficultas metrica, quoniam *θϳ* natura longum est. — *ἀκροθινίων* omnes codices exhibent N. 7: 41.

P. 9: 38 *χλιαρόν* confirmant codices vetusti (exceptis duobus), Tricliniani glossaque Triclinii *ἀντὶ μιᾶς*. Omnes editores tamen *χλαρόν* præferunt, quæ vox minore auctoritate confirmata quid sibi velit, inter editores non prorsus convenit (*χλωρόν*? *λεπτόν*? *λαρόν*? *læte* (*κέχλαδα*)?).

N. 11: 40 in omnibus codicibus et in utraque editione vetustissima est *περιώδοις*. Editores tamen scribunt *περώδοις*.

His quinque, quæ commemorat Hartel, exemplis addi potest P. 3: 16 *νυμφιδίαν*, quod est in omnibus vetustis codicibus præter unum; editores *νυμφίαν* scribunt. Cfr. *ἐπινυμφίδιος*, quod Soph. Ant. 815 est in codicibus.

Ol. 13: 87 in omnibus vetustis, Thomanis, Moschopulcis est *διασωπάσομαι* et I. 1: 55 in omnibus *σεσωπαμένον*, inter quas figuras et *διασιωπάσομαι σεσιωπαμένον* eandem fere intercedere rationem atque inter *ποέω* et *ποιέω* nemo est quin videat.

Vocalis *υ* in semivocalem *ϋ* translatæ unum affert Hartel exemplum Pindaricum, P. 4: 225 *γενύων* (⏑–), quod est in omnibus libris manu scriptis. Inter editores Mommsen et Christ codicum lectionem tuentur, ceteri ad conjecturas et vocabulorum transpositiones confugiunt. Bergk, ut est omnino in rebus metricis summa audacia (v. ex. gr. Ol. 10, ep. 3), ita hic opinatur Pindarum epitriti loco hanc admisisse mensuram –⏑⏑––, quod plane inauditum est. — Eodem modo legitur *γένυι* Ol 13: 82. — Aliud exemplum affert Meyer Gr. Gr. § 147 *δυώδεκ'* Fr. XI: 54: 2. Ejusdem generis sunt *δυωδεκαδρόμων*, quod est in plerisque codicibus P. 5: 31, *δυωδεκάμηνον*, quod est in omnibus codd. N. 11: 10 (cum glossa Triclinii *συνίζησις*); (N. 4: 28 *δυώδεκα* quattuor, Ol. 2: 50 *δυωδεκαδρόμων* sex est syllabarum; Ol. 10: 49 *δώδεκ'*, P. 4: 25 *δώδεκα*, Ol. 6: 75 *δωδέκατον*, Ol. 3: 33 *δωδεκάγναμπτον* sunt in omnibus codicibus). — *γαρύεται* P. 5: 68 non debuit Meyer huc numerare, non solum quod *γαρύεται* nihil nisi conjectura Mommseni sit, sed quia apud Mommsenum hæc vox non cretica mensura (–⏑–) sed quattuor utitur syllabis.

Omnia hæc exempla ejusdem sunt generis omniaque in reprehensiones virorum doctorum incurrerunt. Neque minus suspecta fuerunt cetera exempla, quæ ex tragicis hausit Hartel III: 18. Fortasse ad hanc rem cognoscendam aliquid luminis afferetur, si alia exempla vocalis in consonam translatæ inspexerimus. Meyer enim (Gr. § 148) contendit ad hanc, de qua agimus, quæstionem multas pertinere figuras, quas vulgo nomine synizesis complecti soleamus, præcipue eas, ubi ε excipiant vocales longæ vel diphthongi. Apud Pindarum hæc inveni exempla:

εω: *θεῶν* Ol. 13: 80, *χρυσέων* P. 11: 4, *ἀγαθέων* P. 5: 49, *τειχέων* Ol. 6: 99, *γονέων* P. 6: 27, *ἀλσέων* Fr. VI: 9: 3, *ὀστέων* Fr. XI: 47: 4, *ἀνθέων* Fr. XI: 183: 1, *πενθέων* I. 7: 5, *νιέων* I. 7: 25, *αἰτέω* P. 8: 72, 12: 1, *κομπέω* P. 10: 4, *ἐξαρχέων* Ol. 5: 24, *οἰκέων* I. 1: 27, 3: 37, *θαρσέων* Ol.

9: 109, *ὀπαδέων* Ol. 10: 9, *ὁμιλέων* Ol. 12: 19, *μεδέων* Fr. VI: 2: 1, *διακομπέων* Fr. XI: 25, *προπρεῶνα* N. 7: 86.

εῳ: *χρυσέῳ* P. 9: 6, *ἀργυρέῳ* Ol. 9: 32, *κολεῷ* N. 10: 6.

εοι: *θεοῖσι* Ol. 1: 39, *χαλκέοισι* Ol. 4: 22, P. 9: 20, N. 1: 51, *φοινικέοισιν* I. 3: 36, *ἀδελφεοῖσιν* I. 7: 35, *ὀχεοίσας* P. 2: 79, *στυγέοισιν* Fr. XI: 114: 2.

εᾳ: *Νεμέᾳ* N. 4: 75, *Πυθέᾳ* I. 5: 58.

εαι: *νέαις* P. 11: 25, *χρυσέαις* Ol. 7: 36, P. 3: 94, *χρυσέαισιν* Fr. II: 2: 2, *χρύσεαι* Fr. III: 2: 1, *ἐφάψεαι* Ol. 9: 12, *παραμείβεαι* N. 3: 27.

εᾱ: *κενεάν* Ol. 2: 65, *τελέαν* Ol. 13: 110, *τεάν* N. 4: 78, *χρυσέας* Ol. 6: 1, 11: 13, *ἀδελφεάν* N. 7: 4.

εου: *Ἀλφεοῦ* Ol. 9: 18.

εο: *θεός* P. 1: 56, *βρότεον* P. 10: 28, *σιδάρεον* Fr. XI: 153: 1, *Πολυδεύκεος* I. 4: 29, *Δεινομένεος* P. 1: 79, *Ἡρακλέος* P. 10: 3, *Ἀριστοφάνεος* N. 3: 20, *Ηηλέος* I. 5: 25, *Θεόμοροι* Ol. 3: 10, *Κλεύδαμον* Ol. 14: 22, *νεομηνίᾳ* N. 4: 35, *πνέον* P. 4: 225.

εα: *διαπρεπέα* I. 4: 40, *Κιάτον* Ol. 10: 27, *πολυκτέανον* Ol. 10: 36, *νεαρόν* P. 10: 25, *νεαρά* N. 8: 20.

Undequinquagies igitur post *ε* sequitur longa vocalis vel diphthongus, septies decies brevis vocalis.

Sed inter undequinquaginta exempla conjunctionum, quæ sunt *εω*, *εῳ*, *εοι*, *εᾳ*, *εαι*, *εᾱ*, *εου*, decies fit, ut antecedens et per vocalem exiens syllaba brevis ante consonam et *ε*, quod vice consonæ fungitur, positione non producatur: Ol. 13: 80, P. 5: 49, 6: 27, Fr. VI: 2: 1, N. 7: 86, Ol. 9: 32, Ol. 1: 39, P. 2: 79, Fr. XI: 114: 2, Ol. 13: 110; credibile videtur, idem statuendum esse de N. 4: 75, 78, 10: 6, ubi antecedit syllaba anceps. Si igitur cum Meyero hoc synizesis genus ita explicamus, ut vocalem *ε* in semivocalem transiisse i. e. vicibus consonæ fungi dicamus, hæc tredecim exempla argumento sunt Hartelium jure suo pro certo statuisse ante consonam, quam sequatur semivocalis, brevem syllabam positione non produci. Mirandum autem est, Hartelium ad Homericum *πόλιος* defendendum hæc exempla non adhibuisse; ne Meyer quidem hanc rem satis videtur observasse.

Septendecim exempla, ubi *ε* excipit brevis vocalis, adhuc omisi, propterea quod non omnia eadem ratione explicare licet. Semivocalem necesse est statuamus P. 1: 56 *θεὸς* et P. 10: 28 *βρότεον*, ubi *εο* brevem efficiat syllabam; quod utrumque exemplum argumento est, ante consonam et semivocalem nullam effici

positionem (Ἱέρωνϊ θεός, βρότεον). Ad semivocalem si non cogimur at tamen possumus referre P. 1: 79 Δεινομένεος τελέσαις, I. 4: 29 Πολυδεύκεος τ', P. 10: 3 Ἡρακλέος βασιλεύει, P. 4: 225 γενύων πνέον καιομένοιο, ubi syllaba positione producitur. (P. 1: 79 consona et semivocalis nullam efficiunt positionem). Eadem ratione possumus explicare N. 4: 35 νεομηνίᾳ, ubi νεο est syllaba anceps, et Fr. XI: 153: 1 ubi σιδάρεον ultimam obtinet versus sedem. Sed in N. 3: 20 Ἀριστοφάνεος (οὐκέτι), I. 5: 25 Πηλέος (ἀΐει), Ol. 3: 10 θεόμοροι, Ol. 14: 22 Κλεόδαμον, I. 4: 40 διαπρεπέα (νᾶσον), Ol. 10: 27 Κτέατον, Ol. 10: 36 πολυκτέανον, P. 10: 25 νεαρόν, N. 8: 20 νεαρά, ubi syllaba synizesi appellata, quamquam positionem non patitur, tamen producatur, ad semivocalem non possumus confugere.

De mensura ancipiti vocalium α, ι, υ.

Quamquam omnino apud poetas unaquæque syllaba aut longa aut brevis est et plerumque singulæ longæ binis brevibus tempore respondent, tamen apparet hoc, quod est inter longas et breves, discrimen non prorsus in vera syllabarum appellatione situm sed usu paullatim constitutum esse. De qua re satis est Alexandersonium (pp. 11—14) auctorem proferre. In duabus vocalibus hoc mensuræ discrimen tantum erat, ut necesse videretur etiam scriptura id significare (ε-η, ο-ω), sed ad vocales α, ι, υ significandas semper iisdem literis utebantur Græci, sive longum sive brevem vocalis sonum exprimere volebant. Quamobrem in his tribus vocalibus metiendis multis in vocibus apud alios poetas alium usum videre licet. Quod usus discrimen plerumque ejusmodi est, ut Homerus et qui sermonem ejus imitati sunt poetæ epici alia atque Attici utantur mensura. Pindarus autem ut in usu digammi et positionis, quæ ante mutam cum liquida efficitur, ita hac quoque in re medium quasi locum obtinet inter Homerum et poetas Atticos. Nam ut satis constat, Pindarum, exemplum Hesiodi, alterius poetæ Boeotorum maximi, secutum, linguam patriæ semper aspernatum et dialecto usum esse epica, quæ Doride mitiore temperata sit cuique admixta sint Aeolicæ dialecti vestigia, ita, quum consideramus in mensura syllabarum constituenda ipsum usum plurimum valuisse, facile intelligitur, poetas posterioris ætatis carmina Homeri, quibus nulla pluris æstimabant Græci, sibi

ad imitandum sæpe proponere studuisse. Rursus autem est tenendum Pindarum, qui ætate ad poetas Atticos multo propius accedit, neque a sermone et usu ætatis suæ ipsius prorsus se solvere potuisse neque eodem versuum genere atque Homerum usum esse; quam ob rem multa, quæ in versuum heroicorum natura et indole sunt sita, aut in carminibus Pindari parce solum sunt admissa aut ab iis prorsus aliena sunt. Quæ quum ita essent, operæ pretium me facturum esse sperabam, si, quæ de mensura vocalium *α, ι, υ* apud Pindarum observassem, hoc loco colligerem.

α.

ἀείδω, quod verbum in Odyssea semel (17: 519) in initio versus, sæpius in hymnis Homericis alpha producit (de qua re vide Hartel. III: 23), apud Pindarum semper a brevi vocali incipit.

ἄέλιος brevi alpha instructum apud tragicos poetas nonnumquam legi dicitur (cfr. tamen Nauck. ad Soph. Trach. 835), sed ut epici figura *ἠέλιος* (*ἤλιος*) utuntur, ita apud Pindarum a longa syllaba incipit *ἀέλιος* Ol. 7: 14, 61, P. 4: 144, 241, Fr. X: 1: 1 (in pedibus dactylicis); synizesis est statuenda Ol. 1: 5, 2: 32, 62, 3: 24, 13: 36, N. 4: 13, 7: 73, I. 4: 1. Cfr. Boeckh. not. crit. ad Ol. 1: 5.

Verbi *αἴρω*, de cujus mensura lexicon Passowii est adeundum, hæ formæ apud Pindarum reperiuntur: aor. act. part. *ἀείραις* Fr. VII: 7: 2, aor. med. conj. *ἄρηται* N. 9: 46, I. 1: 44, inf. *ἀρέσθαι* Ol. 9: 102, part. *ἀρομένῳ* N. 7: 59, fut. *ἀρέομαι* (inc. lect.) P. 1: 75, aor. pass. part. *ἀερθέντ'* I. 1: 56, *ἀερθεῖσ'* N. 8: 41, quæ omnes a brevi vocali incipiunt, aor. I med. *ἄραντο* I. 5: 60, *ἐξάρατο* Ol. 9: 10, quæ augmento sunt instructæ.

Verbi *ἄΐτω* primam syllabam Passow docet apud Homerum corripi, ubicunque tertia longa sit, apud tragicos autem ancipitem esse; Berg contendit alpha apud Homerum breve, apud Pindarum et tragicos anceps esse; item de Homero (etiam in imperfecto) Seiler. Hartel (III: 24) jure suo ille quidem animadvertit apud Homerum legi *ἄιε* Il. 10: 532 (*ἄιον* Il. 15: 252, Nauckio suspectum, ad aliud verbum *ἀΐω* (*ἄημι*) plerique trahunt); quod autem hanc longam vocalem ad digamma vult relatam, non est necesse; facilius ad longitudinem explicandam augmentum statuitur. Re vera hoc verbum a brevi vocali incipit et apud Homerum et apud Pindarum, exceptis imperfectis augmento ornatis: *ἄΐει* I. 5: 25, *ἀΐοντα* P. 1: 14, sed *ἄϊον* P. 3: 91, *ἄϊε* P. 3: 27, 12: 10.

P. 9: 41 Mommsen retinuit lectionem, quam omnes tuentur codices, *ἀμφᾰδόν* media syllaba in thesi producta, quamquam pænultima hujus adverbii, quod a *φαίνω* deducitur, brevis est. Schmid primus scripsit *ἀμφανδόν*, quod deinde omnibus fere editoribus est probatum. Tamen est animadvertendum *ἀμφανδόν* alio loco non inveniri in Græcis literis. Apud Archilochum (Fr. 66: 4) est *ἀμφάδην*, apud Homerum *ἀμφαδά* Od. 19: 391, *ἀμφαδόν* Od. 11: 120, *ἀμφάδιον* Od. 6: 288; ubique alpha corripitur. Quum in codicibus nihil sit nisi *ἀμφαδόν*, non audacius mihi videtur novam mensuram quam novam vocem suspicari. Mommsen confert *ὑποφάτιες* P. 2: 76.

ἄνεμος (ter et decies) et *ἀνεμοσφάραγος* P. 9: 5 semper breve alpha habent, *ἀνεμόεις* autem P. 1: 92, Ol. 4: 7 Dorica est forma pro epico *ἠνεμόεις* (est hæc forma etiam in choris, Antig. 353, Trach. 953); formam a brevi alpha incipientem, quam testantur lexica, non vidi.

Nominativi *ἀνήρ* prior syllaba apud Pindarum brevis est undetricies, anceps bis, longa sexies (Ol. 3: 12, 14: 7, N. 2: 3 (Christ *ἀνήρ*), 3: 72, 9: 15, I. 3: 88, semper in thesi). Formæ trium syllabarum et apud Homerum et apud Pindarum semper a longa incipiunt: *ἀνέρι* P. 4: 21, *ἀνέρα* Ol. 9: 110, *ἀνέρες* P. 4: 173, *ἀνέρων* Ol. 1: 66, P. 5: 20, N. 6: 29 (apud Atticos plerumque a brevi).

ἄνω, quod semel apud Homerum (Il. 18: 473) legitur, non est apud Pindarum, qui longa utitur vocali: *ἄνεται* Ol. 8: 8 (Ol. 14: 6 est conjectura). Mommsen ad Ol. 8: 8 nimis confidenter mihi videtur *ἄνω* ab *ἄνω* sejungere. Plane aliter Curtius (Verb. I: 244) hanc formarum seriem finxit *ἄνυμαι ἀνύω ἄνω ἄνω*; contra quod admonere licet novissimam formam nisi e vetustissimo fonte non esse notam. —*ἀνύω* et apud Homerum et apud Pindarum (P. 2: 49; P. 12: 11 est augmentum) a brevi vocali incipit.

De *ἀπειρᾰτῳ* Ol. 6: 54 magna est inter editores dissensio. In plurimis codicibus est *ἀπειράντῳ*, in uno *ἀπεράντῳ*; utrique autem obstat metrum, quod ante *ντ* syllabam corripi nusquam patitur. Sed non desunt, qui *ἀπειρᾶτῳ*, quod est in nonnullis codicibus, eodem modo laborare contendant. Ut Bergk *ἀπείρᾰτος* plane inauditum dicit. Concedendum est in hac voce, quippe quæ vulgo a *πειρᾶν* deducatur et apud Homerum formam habeat *ἀπείρητος*, pænultimam natura longam esse, quamquam exempla Pindarica satis incerta sunt: Ol. 8: 61 enim est syllaba anceps et Ol. 11: 18, N. 1: 23, I. 3: 48 *-ρα* ultimam syllabam epitriti explet, quam sæpe correptam videmus. Quum autem valde dubitem cum Bergkio aliisque auctoritatem codicum plane respuere, acquiescendum

esse censeo in sententia Boeckhii. Putat enim vir illustr. ἀπείρᾰτος a verbo, quod est πειράζω, deducendum esse, ut sit pro ἀπείραστος (quod est in Novo Testamento) ejecta consona σ. Cujus ecthlipsis multa affert exempla (not. crit. p. 378).

Prior syllaba nominis Ἄρης natura brevis videtur, sed inde ab Homero in thesi produci potest. Longum igitur est alpha in thesi: Ἄρεος P. 2: 2, 10: 14, Ἄρει Ol. 9: 76, P. 5: 79, I. 4: 43, 7: 37; breve autem in arsi: Ἄρης Ol. 10: 15, 13: 22, P. 1: 10, I. 6: 25, Ἄρει P. 11: 36, N. 10: 84 (anceps I. 3: 33). A brevi syllaba etiam incipiunt voces, quæ ab Ἄρης deducuntur: ἀρήϊον Ol. 2: 42, ἀρηΐφιλοι I. 7: 25.

ἀτάλλω (ἀτιτάλλω), cujus primam syllabam Hesiodus in thesi producit Op. 131, apud Homerum et Pindarum a brevi syllaba incipit (Fr. XI: 130: 1, N. 3: 58).

Substantivum, quod est ἄτα, apud Pindarum sicut apud Homerum et Sophoclem a longa incipit vocali: Ol. 1: 57, 10: 37, P. 11: 55, N. 9: 21, Fr. XI: 69: 4. Quod Berg contendit alpha interdum corripi posse, nullum vidi exemplum nisi Archil. Fr. 73, ubi Bergk scribit ἄτη; Schneidewin autem ἀ͞υάτη.

N. 7: 83 Boeckh, Schneidewin, Ahrens, Christ conjecturam Hermanni sequentes contra codices γάπεδον legunt. Boeckh et Hermann quidem versum hoc modo sunt dimensi –⏑⏑–⏑⏑–⏑⏑⏑–⏑⏓ et legerunt v. 20 σᾶμα νέονται (cum codicibus), v. 41 κτέατ' ἀνάγων (cum Mediceo et Triclin.), v. 62 ὕδατος (antepænultima contra consuetudinem Pindari producta), v. 104 δὴ ἔπεσι (δή non est in codicibus). Boeckh ipse in editione secunda sententiam mutavit. Eo magis mirandum est, quod Schneidewin et Christ, apud quos hic versus a tribrachye incipit, nihilo minus γάπεδον retinent. δάπεδον et testantur codices neque de mensura relinquit dubium (δάπεδον est apud Pindarum N. 7: 34, 10: 28, Fr. VI: 9: 5, apud Homerum Od. 10: 227, 11: 577, Il. 4: 2 al. l., apud Euripidem, Aristophanem); γήπεδον apud Platonem et Aristotelem legitur; γάπεδον commemorat Steph. Byz. et apud Hesychium est glossa γάπεδα· ἀγροικικαί οἰκίαι; sed poetis, quod equidem sciam, conjectura solum obtrusum est; de δάπεδον vide Ahr. II: 80, Curt. Grundz. p. 606.

Secundam syllabam vocis διαβολιᾶν in thesi productam omnes testantur codices P. 2: 76. Eadem vox eadem mensura instructa est apud Theogn. 324; utroque loco vulgo legitur διαιβολία. Cfr. Alexanderson. p. 21.

ἵλαος, cujus pænultima apud Homerum (exceptis Il. 9: 639, 19: 178) et Hesiodum longa est, apud Pindarum semper dactyli mensuram habet (Ol. 3:

34, P. 12: 4) ut plerumque apud poetas posterioris ætatis (ex. gr. Soph. Oed. Col. 1480).

Pænultima vocis *καλός* longa est apud Homerum semper, apud ceteros poetas epicos sæpissime, brevis apud scriptores Atticos; ceteros pro necessitate metrica alpha tum longum, tum breve habuisse contendit Passow; quod tamen non verum est. Apud Pindarum enim alpha semper breve est (quater et quadragies). — *καλός* Curtius (Grundz. p. 139) cum Sanscritico adjectivo kal-ja-s confert, unde explicantur et geminata consona *λ* in comparativo et alpha apud poetas epicos productum. Confer *ἴσος*.

In substantivo *τετραορία* alpha longum est P. 2: 4, N. 4: 28; in synizesi legitur adjectivum *τετράορος* P. 10: 65. Sed in *τετραόροισιν* N. 7: 93 brevis est vocalis; fortasse etiam in *τετραορίας* Ol. 2: 5, *τετραορίᾶν* I. 3: 17, quæ vulgo ad synizesim referunt editores.

ι.

Quamquam in *ἀκροθινίων* N. 7: 41 et *ἀκρόθινα* Ol. 2: 4 syllaba *θι* longa est, tamen non desunt, qui Ol. 10: 57 *ἀκρόθινα* alio modo sint modulati. Ut Boeckh, Mommsen, Christ hoc modo syllabas sunt dimensi $-\breve{\smile}\breve{\smile}$, quorum tamen Christ ipse (præf. p. 11) negligentiæ somniculosæ se accusat et Mommsen (Suppl. p. 139) dubitat, an ab anapæsto incipiat versus. Omnium audacissimus est Bergk, qui v. 57 a cretico, ceterorum autem epodorum tertium versum a spondeo incipere opinetur. Mihi quidem persuasum est v. 57 anapæstum pro spondeo basis locum explere ($\breve{\smile}\breve{\smile} \div \breve{\smile}\breve{\smile} — \breve{\smile}\breve{\smile} — \smile — \breve{\smile}\breve{\smile} — \smile\breve{\smile}$). Ita autem *θι* longum servatur; syllabam *ἀκρ* corripi posse e N. 7: 41 elucet. Basis spondiacæ in anapæstum dissolutæ exemplum est N. 6: 65.

Pænultimam vocis, quæ est *ἀνία* (de qua vide Curt. Grundz. p. 536), Homerus semper pro longa habet; apud Pindarum anceps est: *ἀνίας* P. 4: 154 sed *ἀνῐαισι* N. 1: 53. Adjectivum *ἀνιαρός* Ol. 12: 11, P. 4: 288 iota corripit.

In *δηρίομαι* Berg iota longum signavit; apud Pindarum est *δηρῐόμαι* Ol. 13: 43; cfr. *δηριώντων* N. 11: 26.

Præpositio *διά* apud Pindarum semper pyrrhichii servat mensuram, etiam in initio versus (Ol. 7: 79, P. 2: 20), ubi Homerus iota quater producit.

Διομήδης N. 10: 7, *διώσδοτος* P. 8: 96, Fr. X: 8: 3 a brevi syllaba incipiunt, *Διόδοτος* I. 6: 31, *Διαγόρας* Ol. 7: 13, 84 (in thesibus dactylicis) a longa. Cujus mensuræ immutatæ causa nescio an eadem sit, qua producitur alpha privativum in *ἀθάνατος*.

In *ἰαίνω* (Ol. 2: 13, 7: 45, P. 1: 11, 2: 90, Fr. IX: 1: 13) iota semper breve est apud Pindarum (longum Od. 22: 59 in initio versus).

Ἴάλυσος (Ol. 7: 78) apud Pindarum et Homerum a brevi vocali incipit, a longa Anth. 7: 716 (ed. Jacobsii p. 232).

Ἴαμος, cujus nominis originem Pindarus ipse ab *ἴον*, *viola*, repetit, brevi iota utitur Ol. 6: 43, sed in ejusdem carminis v. 71 *Ἰαμιδᾶν* longa vocali instructum legitur (in thesi dactylica; cfr. *Διόδοτος* al.).

Primam vocalem verbi, quod est *ἰάομαι*, producunt Homerus et Pindarus (P. 3: 46, l. 7: 15; eodem modo subst. *ἰατήρ* P. 4: 270, *ἰατῆρα* P. 3: 65, *ἰατρός* N. 4: 2) sed corripit interdum Euripides.

Pænultima vocis *Ἴδας* N. 10: 60, 71 Pindarus (ut Homerus) longa utitur; de *ἰδαῖος* Ol. 5: 18 est dubitatum; cfr. pp. 69, 70. Ex mensura vocis *περῑδαῖον* Fr. XI: 23: 2 nihil concludere ausim.

Sæpe apud poetas epicos prima syllaba adjectivi *ἱερός* in thesi producitur. Pindarus autem semper iota brevi utitur (bis et vicies). Eadem est ratio vocum *ἱερομηνία* N. 3: 2, *ἱερεύς* P. 2: 17. Epica forma *ἰρός*, cujus pænultima semper est producta, apud Pindarum bis legitur, Fr. IX: 2: 9, XI: 94.

Reduplicatio præsentis verbi *ἵημι* apud epicos plerumque brevis, apud Atticos vulgo longa est; neque tamen desunt, quæ hac non teneantur lege. Præcipue a longa vocali incipiunt eæ figuræ, quæ alio modo in versum dactylicum includi nequeant (ut *ἑέμεναι*, *ἑέμενος*). In hac voce dimetienda Pindarus Homerum sequitur. Legimus igitur *ἵει* Ol. 9: 11, *ἵεν* I. 1: 22 (impf. sine augmento), *ἑείς* N. 6: 28, 8: 49, *ἑέντα* Ol. 13: 90, *ἑέντες* Ol. 2: 90, *ἀφῑέμ'* P. 4: 149, *ἐφῑέτι* I. 2: 9, sed P. 4: 207 *ἑέμενοι* (in thesi dactylica).

ἴχω, quod Boeckh Pindaro ubique vindicavit, etiam in formis, quæ augmento carent (*ἴχεις* N. 5: 50, *ἴχει* Ol. 4: 10, *παρίχει* P. 6: 43, *ἴχοντι* Ol. 10: 87, *ἴχων* Ol. 5: 9, P. 11: 32), longam habet pænultimam, excepto P. 2: 36, de quo loco difficillimo vide annot. editorum; Mommsen et Bergk lectionem codicum *ἴχονθ'* in contextum carminis intulerunt; alii ad conjecturas confugiunt. — Etiam apud Homerum legimus *ἴκωμι* Il. 9: 414 (ubi tamen Nauck *ἴωμι*). In *ἱκνέομαι*, *ἱκάνω*, *ἱκέτας*, *ἱκετεύω*, quæ ab *ἵκω* derivantur, iota semper breve est, exceptis figuris, ubi productio augmento debetur.

ἱλάσκομαι, cujus iota apud Homerum nonnumquam corripitur (Il. 1: 100, 147), apud Pindarum a longa vocali incipit Ol. 7: 9, neque aliis locis legitur hæc vox in carminibus Pindaricis. *ἵλαος* semper a longa vocali incipit (Ol. 3: 34, P. 12: 4).

ἰμάς brevem vocalem in initio habet N. 6: 35 (apud poetas epicos sæpe longam et in thesi et in arsi).

De ϝίν vide pp. 56, 57.

In ἰοχέαιρα P. 2: 9 iota breve est, quamquam prior pars hujus vocis est ἰός, *sagitta*, quod apud Pindarum non legitur sed apud ceteros poetas semper ι producit. Apud Homerum ἰοχέαιρα a longa incipit vocali.

Prior syllaba adjectivi ἴσος apud Homerum et Hesiodum semper longa, apud Pindarum et scriptores Atticos brevis est; eodem modo ἄϊσος I. 6: 43 legimus. Sed vocabula juncta, quæ sunt ἰσοδαίμων N. 4: 84, ἰσόδενδρος Fr. XI: 43, a longa vocali incipiunt; ἰσώνυμος Ol. 9: 64 est anceps. Etiam poetæ tragici in vocabulis junctis nonnumquam Homerum sequuntur. Causa productionis vocalis ι repetenda est ex primaria forma hujus vocabuli ϝισϝο-ς.

ἴυγξ P. 4: 214, N. 4: 35 apud Pindarum priorem vocalem longam habet contra usum Aristophanis.

Verbum, quod est ἰύζω, apud poetas epicos a longa, apud scriptores fabularum a brevi vocali incipit. Nimis autem confidenter iota etiam apud Pindarum longum esse contendit Passow; nam hoc verbum apud eum nisi in figura aoristi ἴυξεν P. 4: 237 non reperitur; verba autem ab iota incipientia augmentum nunc accipiunt, nunc respuunt (ἶεν I. 1: 22, ικόμαν P. 4: 105).

In comparativo καλλίων metiendo Pindarus Homerum sequitur, apud quem iota breve est: P. 5: 11, 11: 57, N. 11: 26, Fr. V: 2: 1, VII: 5: 3. Eodem modo αἰσχίω I. 6: 22, κερδίων N. 5: 16, πόρσιον Ol. 1: 114, ὕψιον Fr. XI: 129: 1, quorum apud Homerum inveniuntur αἴσχιον, κέρδιον. Apud Atticos aliter.

κλαῖς (Doricum pro κλεῖς) in formis trisyllabis iota nunc breve, nunc longum habet: κλαΐδες P. 9: 39, κλαῖδας P. 8: 4.

Pro Homericis Κρῖσα et Κρῖσαῖος Pindarus dicit Κρίσα I. 2: 18 et Κρῑσαῖος P. 5: 35, 6: 18.

Longum est iota apud Homerum in nominativo Κρονίων et in genitivo Κρονίονος (sed in gen. Κρονίωνος breve). Apud Pindarum nulli alii casus exstant nisi nominativus, qui tamen ancipitem vocalem habet; longum est iota in thesi P. 1: 71, N. 9: 19, breve autem in arsi P. 3: 57, 4: 23, N. 1: 16, 9: 28, 10: 76.

Adverbium λίαν, cujus pænultimam apud Homerum bis et tricies produci, decies corripi docet Seiler, quodque poetæ sequentes pro necessitudine metrica alio loco aliter sunt modulati, apud Pindarum semel reperitur, P. 1: 90, ubi iota breve est.

Iota verbi *μητίομαι* Pindarus P. 2: 92 corripit.

Homerus pænultima verbi *νίφω* longa utitur; apud Pindarum hæc syllaba est anceps I. 6: 5; breve autem est iota in omnibus vocibus, quæ e *νίφω* deducuntur: *νῐφάς* Ol. 7: 36, 10: 51, I. 3: 35, *νῐφετός* Fr. VII: 4: 8, *νῐφόεις* P. 1: 20. Quod apud Seilerum iota vocis *νιφάς* longum signatur, inter errata typographi sine dubio referendum est, sicut in eodem lexico *Σίπυλος*, *φῑάλη*, *δύναμις* et apud Bergium *ἰόνιος*, *κερδῖων*).

πιαίνω longum habet iota bis: *πίαναν* N. 9: 23, *πιαινόμενον* P. 2: 56; corripitur autem *πῐαίνων* P. 4: 150 (Passow docet, iota nisi apud Gregorium Nazianzenum non corripi).

Apud Pindarum (Ol. 6: 86) sicut apud Homerum *πίομαι* a longa syllaba incipit; aliter Theocr. 7: 69, Theogn. 1129.

Apud Pindarum semper legitur *Πίσα* (Ol. 1: 18, 2: 3, 3: 9, 6: 5, 8: 9, 10: 43, 13: 28, 14: 23, N. 10: 32); eodem modo *Πῐσάτας* Ol. 1: 70, 9: 68, *Πῐσᾶτις* Ol. 4: 11; sed apud scriptores fabularum ceterosque poetas iota semper longum est. Homerus has voces non usurpat.

Σέριφος, cujus iota apud Aristophanem longum est, quam mensuram P. 12: 12 habeat, non satis liquet. Mommsen, ut *Σέριφος* apud Pindarum eandem teneret mensuram atque apud Aristophanem, primum pronomen *ἕ*, quod non est in codicibus, inculcavit, deinde synizesim admisit in *λαοῖσι*. Hermann, Bergk, alii multis modis hunc versum emendare conati sunt. Quæ tamen omnia mihi minus necessaria videntur. Satius duco cum Christio lectionem codicum retinere et iota correptum statuere. Neque enim mihi correptio nominis proprii *Σέρῐφος* difficilior videtur quam *Πῐσα*.

Σικελία, quod sæpe in hexametro primam producit, apud Pindarum legitur in basi Ol. 1: 13, Fr. VII: 3: 6, in cretico metro Ol. 2: 9, in epitrito soluto P. 1: 19, N. 1: 15; ubique prima syllaba est brevis.

Homerus iota præsentis *τίνω* producit; Pindarus autem ipse hanc syllabam corripit P. 2: 24, quem usum secuti sunt scriptores fabularum.

φθίνω apud Homerum spondeus, apud Atticos iambus est. Pindarus semper brevi vocali utitur: *φθῐνει* P. 1: 94, *κατέφθῐνε* I. 7: 46, *φθῐνόκαρπος* P. 4: 265, *φθῐνοπωρίς* P. 5: 112.

φίλος, cujus pænultimam interdum in vocativo producit Homerus, apud Pindarum semper iota breve habet.

In *Φιλύρα* P. 4: 103, 6: 22, N. 3: 43 prima vocalis brevis, in *Φιλυρίδας* P. 3: 1, 9: 30 longa est. Cfr. *Ἴαμος Ἰαμίδαι*.

v.

δρῦς apud Pindarum nisi in genitivo non legitur, *δρυός* P. 4: 264, N. 10: 61, ubi ypsilon breve est (longum interdum apud epicos, Hes. Op. 436).

θυγάτηρ apud Pindarum semper a brevi syllaba incipit, etiam in formis quadrisyllabis *θυγατέρι* P. 2: 39, *θυγατέρα* P. 5: 26, ubi poetæ epici vocalem producunt.

Et apud Homerum et apud Pindarum verbum *θύω* in duabus significationibus usurpatum est, quæ tamen ad unam communem referri possunt. Jure enim Passow mihi videtur huic verbo primariam vim *exardescendi*, *surgendi* attribuisse, quæ deinde in duas sit divisa, unam transitivam erigendi, tollendi, quæ ad sacrificia relata est, alteram intransitivam, quæ et ad celeres corporis et ventorum motus et ad turbulentos animi impetus spectat. Passow igitur negat his significationibus alii aliud verbum subjectum esse. Neque multo aliter Curtius, Grundz. p. 259. Animadvertendum tamen est, hanc significationum dissimilitudinem sæpissime in mensura quoque valere. In significatione enim *sacrificandi* apud Homerum breve est ypsilon (longum tamen Od. 15: 222), in significatione *furendi* semper longum (quæ mensura apud tragicos etiam in illa significatione plerumque valet). Eandem mensuræ varietatem etiam in carminibus Pindaricis videre licet. P. 3: 33 *θύοισαν*, Fr. V: 1: 6 *θύοισ'* vim habent intransitivam et longam vocalem, sed Ol. 10: 57 *ἔθυε*, Fr. XI: 51 *θύειν* ad sacra spectant et correpta vocali instructa sunt. In comparationem vocanda sunt et *ἱερόθῠτος* Fr. XI: 122: 3, *θῠόεις* Fr. IV: 3: 3, *θῠον* Fr. X: 1: 7, *θυσία* Ol. 6: 78, 7: 44, P. 5: 80, I. 4: 27, *πολύθῠτος* P. 5: 72, N. 7: 47, *βουθῠσία* Ol. 5: 6, N. 10: 23, et *θύνω* P. 10: 54, *θῡμός* (quater et tricies). Aliter autem *θῡμιᾶτε* Fr. IX: 1: 2.

Ἰάλυσος apud Homerum (Il. 2: 656) longum, apud Pindarum (Ol. 7: 78) breve ypsilon habet.

κλύω brevem habet vocalem in formis, quæ sunt *κλύειν* P. 1: 90, *κλύοντες* P. 4: 58, *κέκλυτε* P. 4: 13, sed longam in imp. *κλῦτ'* Ol. 14: 5, *κλῦθ'* Fr. XI: 122: 1.

κύανος a brevi vocali incipit sed primam syllabam adjectivi *κυάνεος*, ut ad versum dactylicum hanc vocem aptet, Homerus producit. Pindarus eandem productionem admittit, quum et ipse in colis dactylicis *κῡάνεος* adhibeat, Ol. 6: 40, Fr. V: 1: 4. Sed vocabula juncta *κυάναιγις* Ol. 13: 67, *κυανάμπυξ* Fr. II: 1: 3 brevem vocalem habent.

Hesiodum sequens Pindarus syllabam antepænultimam vocis *Κυράνα* P. 4: 2, 62, 261, 276, 279, 5: 22, 58, 76, 9: 4, 18, 73 corripit; longa est hæc syllaba apud scriptores fabularum (e. gr. Arist. Ran. 1328).

In verbo *λύειν* metiendo Pindarus Homerum sequitur, qui ypsilon ante sigma producit, in præsenti autem et imperfecto corripit (exceptis Od. 7: 74, Il. 23: 513); scriptores fabularum etiam in his temporibus vocalem producunt. Exempla Pindarica sunt *λῦοι* I. 7: 45, *παραλῦει* Ol. 2: 52, *ἔλῡσε* Ol. 4: 21, P. 11: 34, N. 10: 90, *λῦσε* P. 4: 291, *λῦσον* P. 4: 155, *λῦσαι* Ol. 10: 9, *λύσαις* P. 3: 50, *ἐλύσατο* I. 7: 52, *λῠθέντες* I. 7: 5, *λῠθέντων* Fr. II: 6. Brevis est vocalis in vocabulis junctis et derivatis *ἄλυτος* P. 4: 215, *λυτήριον* P. 5: 99, *λύα* N. 9: 14, *λύσις* Ol. 10: 47, N. 10: 76, longa autem in *λυσίπονος* P. 4: 41, Fr. X: 2: 1 (in thesi dactylica); in substantivo *λύτρον* Ol. 7: 81, I. 7: 1 productio positioni debetur.

Verbi *ῥύομαι*, cujus mensura apud Homerum anceps est, in carminibus Pindari duo exstant exempla, imperf. *ῥύοντο* I. 7: 53, aor. *ἐῤῥύσατο* P. 12: 19; ypsilon in imperfecto est breve, in aoristo longum. Longa est vocalis etiam in *ῥυσίδιφρος* I. 2: 21.

Ceterum animadvertendum est in præsenti et imperfecto verborum per *-ύω* exeuntium, quorum mensura apud poetas sæpe anceps est, Pindarum summa constantia vocalem corripere. Legimus igitur *ἀπῠεῖ* P. 2: 19, 10: 4, *ἀπῠεῖν* P. 5: 97, *ἀπῠων* Ol. 5: 19, *ἄπῠεν* Ol. 1: 72, *γαρῠεν* Ol. 1: 3, *γαρῠων* Ol. 13: 48, N. 6: 58, *γάρῠον* P. 4: 94, *γαρῠειαι* Ol. 2: 87 (P. 5: 68), *γαρῠέμεν* N. 3: 32, 7: 83, *ἰθῠει* Fr. XI: 155: 2, *ἰσχῠει* Fr. III: 10: 2, *κώλῠεν* P. 4: 33, *μανῠει* P. 1: 93, N. 9: 4, *μανῠων* I. 7: 55, *μάνῠε* Ol. 6: 52, *μεθυω* Fr. IX: 4: 2, *ὀρνῠει* Ol. 13: 12, *ὀρνῠμενοι* P. 1: 66, *ὀρνῠμενον* P. 4: 91, *ὀρνῠμένων* Ol. 8: 34, *ὤρνῠεν* P. 4: 170, *ποιπνῠων* P. 10: 64, *σβεννῠεις* P. 1: 5. Cfr. *θύω*, *κλύω*, *λύω*, *δηρίομαι*, *μητίομαι*.

Prima vocalis substantivi *ὕδωρ* apud epicos nonnumquam producitur in thesi (in Batrachomyomachia semel in arsi); brevis est apud Pindarum. Fr. VII: 4: 10 Mommsen, Boeckhium sequens, antepænultimam dativi *ὕδατι* ille quidem productam significavit; sed non video, quid prohibeat, ne versum hoc modo dimetiamur $-\breve{\smile}-\breve{\smile}-\breve{\smile}-\breve{\smile}\,\breve{\smile}\breve{\smile}-\breve{\smile}-\breve{\smile}\breve{\smile}$; tribrachyis inter trochæum antecedentem et dactylum sequentem collocati exempla apud Pindarum non desunt.

χρυσός et voces, quæ a *χρυσός* deducuntur, apud Homerum ceterosque epicos longo utuntur ypsilon. Pindarus primus correptionem admisit (*χρῠσόν* N. 7: 78; sexies decies autem producitur), quæ deinde apud fabularum scriptores

passim occurrit. Sæpius correptio fit in adjectivo *χρύσεος*: Ol. 1: 87, P. 3: 73, 4: 4, 144, 231, 9: 56, 10: 40, N. 5: 7, I. 6: 49, Fr. XI: 141: 2 (semper in pede dactylico et sine synizesi); quater autem et vicies vocalis producitur. Semper longum est ypsilon in vocabulis junctis, quæ sunt *πάγχρυσος* Ol. 7: 4, P. 4: 68, *πολύχρυσος* P. 4: 53, 6: 8, 9: 69, Fr. XI: 136: 2, 139: 2, *χρυσαλάκατος* Ol. 6: 104, N. 5: 36, 6: 36, Fr. II: 1: 1, Fr. 116: 1, *χρυσάμπυξ* Ol. 7: 67, 13: 63, P. 3: 89, I. 2: 1, Fr. II: 2: 6, *χρυσάνιος* Fr. II: 8, *χρυσάρμαιος* Ol. 3: 19, P. 5: 9, I. 5: 19, *χρύσασπις* I. 1: 1, *χρυσάωρ* P. 5: 97, Fr. 116: 9, *χρυσόθρονος* P. 4: 260, N. 1: 37, *χρυσόκερως* Ol. 3: 29, *χρυσοκόμας* Ol. 6: 41, 7: 33, *χρυσόπεπλος* I. 5: 75, *χρυσόραπις* P. 4: 178, *χρυσοστέφανος* Ol. 6: 57, 8: 1, P. 9: 109, *χρυσότοξος* Ol. 14: 10, *χρυσοχαΐτα* P. 2: 16, *χρυσοχίτων* Fr. XI: 104 (quinquies vicies in arsi, duodecies in thesi).

Videmus igitur Pindarum in aliis vocibus metiendis sibi ipsi non constare, in aliis ad Atticos accedere (*καλός*, *ἴσος*, al.), in aliis Homerum sequi (*καλλίων*, al.). Nonnumquam Homeri et epicorum modo brevem syllabam in pedibus dactylicis ictu producit (*διᾱβολιᾶν*, *Δῑαγόρας*, *Δῑόδοτος*, *Ἰᾱμιδᾶν*, *Φῑλυρίδας*, *κῡάνεος*, *λῡσίπονος*). — Hic non prætereundas censeo syllabas finales apud Pindarum productas; hæc inveni exempla: Ol. 6: 28 *σάμερ῰ν ἐλθεῖν*, 103 *ποντόμεδ῰ν*, *εὐθύν*, Ol. 13: 109 *ἰδέμεν. ἀλλά*, P. 3: 6 *γυιαρκέος Ἀσκληπιόν*, P. 4: 184 *πόθ῰ν ἔνδαιεν*, P. 5: 39 *καθέσσανι῰*, *μονόδροπον*, P. 9: 114 *χορον ἐν*, P. 11: 38 *τρίοδ῰ν ἐδινήθην*, N. 1: 51 *ἔδραμ῰ν ἀθρόοι*, 69 *χρόν῰ν ἐν*, I. 1: 22 *ὁπότε δίωκοις*. Hæ productiones omnes in thesi leguntur. Ad exemplum Homeri et vim cæsuræ semiquinariæ referenda sunt Ol. 6: 103, P. 9: 114, I. 1: 22, e quibus Ol. 6: 103 etiam interpunctione confirmatur. Idem colon dactylicum (– ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ –) est Ol. 13: 109, N. 1: 51, 69; P. 11: 38 productæ syllabæ antecedunt tres dactyli. In colis epitriticis leguntur Ol. 6: 28, P. 3: 6, 4: 184, in trochaico colo est P. 5: 39. De nonnullis tamen harum productionum dubitant editores.

Præterea propter mensuram annotanda sunt aliquot syllabæ finales et vocabula monosyllaba.

Adverbium *ἄγαν*, quod in literis Græcis apud Simonidem et Pindarum primum legitur, longam dicitur habere syllabam finalem; id quod tamen e carminibus Pindari non apparet, nam Ol. 6: 19, P. 4: 151, N. 11: 30 postremam versus sedem obtinet et Fr. XI: 126 positio fit; eodem modo res se habere potest Fr. XI: 132, ubi *ἄγαν* sequitur vox, quam olim a digammo incepisse satis constat. — Per longam autem syllabam exit *ἄγαν* Simon. Fr. 5: 3.

Dores interdum ultimam vocis, quæ est *τάλας*, corripiebant (Theocr. 2: 4); Pindarus autem *τάλᾱς* legit Fr. XI: 25. Eodem modo *Αἴᾱς* N. 7: 26; cfr. Meyer. Gr. Gr. § 313.

Syllaba ultima neutrius *ἅπαν* apud Homerum brevis, apud Atticos longa est. Et Passow et Berg contendunt Pindarum eandem atque Atticos usurpasse mensuram; quod tamen errant. Sequitur enim Homerum, quod e P. 2: 49 elucet. Ol. 9: 100, 13: 17, P. 1: 28, 4: 83 productio positioni debetur. — Eodem modo Ol. 2: 85 *τὸ πᾶν* (vel *τὀπᾶν*) legitur; ceteris locis *πᾶν* longum est; eodem modo legitur *ἔμπᾶν* N. 10: 82. — Apud Theocritum autem est *ἅπᾶν* 2: 56, 22: 86 (in thesi).

Particulam *γάρ*, quamquam apud Homerum in thesi interdum producitur (vide Knös. p. 348), tamen non ausim statuere I. 5: 57 in arsi epitritica productam esse. Quod Mommsen (Suppl. p. 57) opinatur Pindaro licuisse ante *ἐλθεῖν* syllabam producere, vide pp. 67, 68. Satius mihi videtur cum Bergkio ultimam epitriti syllabam pro ancipiti habere.

In formis trisyllabis vocis *ἰσχύς* ypsilon semper est breve (apud Pindarum *ἰσχῦος* Ol. 1: 96, N. 6: 66, 9: 12, I. 3: 86), in disyllabis vulgo longum; apud Pindarum autem *ἰσχύν* N. 11: 31 trochaicam habet mensuram. Fr. VII: 4: 3 est positio.

In formis disyllabis substantivi *ὄρνις* iota et apud Homerum et apud alios poetas anceps est. (Nauck tamen pro *ὄρνις ἐπῆλθε* Il. 12: 218 *ὄρνῑς ἦλθε* et pro *ὄρνις ἐνὶ μεγάροισι* Il. 24: 219 *ὄρνῑς ἐν μεγάροισι* scribit; cfr. Knös. pp. 25, 341). Apud Pindarum P. 4: 19 *ὄρνῑς* in arsi legitur; P. 4: 216 est positio.

Epica particulæ *ποίν* productio (cfr. Knös. pp. 25, 346), quam nonnulli Atticis quoque poetis attribuunt, non exstat in carminibus Pindaricis.

τίν (Dorica forma pro *σοί*) longum est in thesi I. 5: 4 (ut semper apud Theocritum), breve autem P. 1: 29, N. 10: 30. Quater decies positio fit.

τοίς apud Pindarum sicut apud ceteros poetas Græcos natura breve est. Productio hujus vocis (Hes. op. 173) digammo sequentis vocis debetur.

De alpha privativo.

Alpha privativum apud Pindarum semper breve est (nam in *ἀΐσωσεν* P. 3: 37, *ἄμερσε* Ol. 12: 16 productio augmento debetur), exceptis adjectivis *ἀθάναιος*, quod constanter (sexies et vicies) alpha producit, semper in thesi dactylica,

et ἄπάλαμνον Ol. 1: 59 (sed ἀπάλαμνοι Ol. 2: 57). ἀχάματος, quod et Homerus et scriptores fabularum (Antig. 339) longa instruxerunt vocali, non legitur apud Pindarum, qui Ol. 1: 87, N. 6: 39 adjectivum ἀχάμας adhibet.

De correptione Aeolica.

Satis constat grammaticos apud Aeoles alpha femininorum primæ declinationis correptum esse contendere. Apud Sappho non leguntur nisi vocativi Δίκᾰ, ἔρανναᾰ, νύμφᾰ, sed apud Melinno est nominativus πρόσβιστᾰ; cfr. Ahr. I: 109. — Et ad alias dialectos et ad Aeolicam (cfr. Meist. Dial. I: 160, not.) nominativos masculinos per ᾰ exeuntes grammatici referunt; quamquam omnia, quæ afferuntur, exempla ex Homero sunt petita, Aeolicas formas agnovit etiam Hinrichs p. 96, quamobrem a Meyero (§ 325) vituperatur. Quomodo orti sint hi nominativi masculini in -ᾰ, omnino tres sunt prolatæ sententiæ. Veteres grammatici eos a principio vocativos fuisse putarunt, qui deinde pro nominativis usurpari coepti essent; quam sententiam etiamnunc defendit Meyer Gr. § 325. Delbrück autem eos pro femininis collectivis habet. Meister denique (p. 160) eos veros esse nominativos contendit multaque affert exempla σ consonæ e terminatione nominativi singularis ejectæ. Quoquo modo res se habet, de vetustate harum formarum non potest dubitari. (Meister l. l.: "Sie gehören ohne Zweifel zu dem ältesten Sprachgut der homerischen Poesie"). Ut apud ceteros poetas passim occurrunt hujus "Aeolicæ" correptionis vestigia, ita apud Pindarum non prorsus desunt exempla neque femininorum neque masculinorum correptionis, etiamsi sunt pauca. Singulos locos inspiciamus.

Ol. 7: 90, 13: 105 postulante metro omnes editores Ἑλλανᾰ scribunt, quamquam hoc loco nullus codex, illo solus Parisinus (C) hanc exhibet lectionem. Cfr. Mommseni Suppl. p. 89. Nomen Achaicæ urbis est Πελλήνη, et apud Pindarum ipsum reperiuntur genitivus Πελλάνας N. 10: 44 et dativus Πελλάνᾳ Ol. 9: 98. Quamquam igitur verisimile est Πέλλανᾰ Aeolice dictum esse pro Πελλήνη (id quod pro certo statuit Peter p. 32), tamen tenendum est in Græcis literis exstare τὰ Πέλλανα, quod nomen est vici cujusdam Laconici, quem tamen Xenophon, Polybius, al. Πελλήνη nominant. Ut igitur τὰ Πέλλανα apud Xenophontem in ἡ Πελλήνη transiit, ita certe fieri potuit, ut nomen Achaicæ urbis duobus modis scriberetur: ἡ Πελλήνη et τὰ Πέλλανᾰ. Hujusmodi generum immutationis non desunt exempla apud Pindarum: αἰών est feminini generis P.

4: 186, 5: 7, N. 9: 44, masculini autem Ol. 9: 60, N. 3: 75, I. 7: 14; *αἰθήρ* est fem. gen. Ol. 1: 6, 13: 85, masc. Ol. 7: 70, N. 8: 42.

Ol. 10: 15 in plurimis vetustis libris manu scriptis est *Κυκνέα*, quod tamen postulante metro Hermann (de dial. Pind. p. 10) in *Κύκνεια* correxit; quæ emendatio, quantum equidem scio, omnibus editoribus est probata, quamquam Hermann ipse aliam hujus versus restituendi rationem postea proposuit. Correptionis femininorum alia exempla afferunt Hermann l. l., Schneidewin ad hunc locum.

Ol. 14: 19 omnes fere codices *Μινύεια* exhibent, quam formam, hoc accentu notatam, Bergk accepit, Petero dubitanter assentiente. Quum autem neque ex scholiis veteribus quidquam eruere liceat, neque metrum formam Aeolicam desideret, cum Boeckhio *Μιννεία* scribendum esse censeo. De apicibus non nimium esse codicum fidei attribuendum ex *Κυκνέα* et *Πελλάνα* supra allatis satis elucet.

Ol. 13: 33 in plerisque codicibus est *Νέμεα* (⏑⏑), quod pro substantivo feminini generis Aeolico more correpto habet Mommsen (Suppl. p. 165). Equidem potius crediderim *Νέμεα* adjectivum esse pro substantivo usurpatum (*τὰ Νέμεα ludi Nemeæi*); forma *Νέμεια* sine articulo est N. 5: 5. Hanc interpretationem, quam defendunt Boeckh et Rumpel, confirmare videntur et *Ἰσθμιάδες* v. 32 et scholia (*καὶ τὰ Νέμεα οὐκ ἀντιξοεῖ*). Figuris *Νέμεος* et *Νέμειος* simillima sunt exempla *ἀφνεός ἀφνειός*, *Ἀλφεός Ἀλφειός*; de quibus tamen vide Mommseni Suppl. p. 177.

Ol. 1: 89 in omnibus codicibus vetustis est *ἃ τέκε*, quamquam metrum in fronte versus tribrachyem desiderat. Mommsen, cui assentitur Christ, in contextu carminis hanc lectionem, quamvis suspecta ei videatur, retinet; Boeckh, Bergk, al. correctionem Byzantinorum *τέκε τε* suscipiunt. Quamquam lectionem codicum hoc loco adjuvare videntur scholia, tamen omnino nominativi feminini Aeolice correpti testimonia infirmiora sunt, quam ut, præcipue de voce tam usitata, omnes dubitationes solvantur. — *ἄτεκε* (pro *ἔτεκε*) legere non credo cuiquam in mentem venturum esse, quum et *ἄτεκε* ipsum auctoritate codicum sit destitutum, et asyndeton, quod dicimus, hoc loco ineptum videatur, et *α*, vicibus augmenti syllabici fungens, tribus solis nitatur glossis Hesychianis, e quibus una apertis verbis ad dialectum Creticam refertur. Cfr. Curt. Verb. I: 112.

P. 4: 140 *ἐπίβδαν* (*ἔπιβδαν* fort. Parisinus) ultima brevi exhibent codices; Bergk scribit *ἔπιβδαν*. Dubitari autem potest, num Peter (p. 32) hanc vocem inter Aeolicæ correptionis exempla jure suo retulerit. — De origine hujus vocis disputat Curtius, Grundz. p. 575.

Quod Mommsen, ut substantivum *ὄσσα* digammo ornaret, Ol. 6: 62 *πάτρια ϝόσσα* commendavit, prorsus est improbandum.

Ol. 13: 7 in omnibus codicibus, uno excepto, legitur *ταμίαι ἀνδράσι* (⏑ – ⏑), quod editoribus magnam exhibuit molestiam. Alii syllabas *αι* et *ἀν* synizesi coaluisse contendunt, alii ad elisionem totam rem revocatam volunt. Mommsen etiam conjectat has voces ad Pacem solam spectare et ob eam rem legendum esse *τάμι'* (*τάμιᾰ* Aeolice pro *ταμίᾱ*) *ἀνδράσι*. Quamquam autem est apud Bacchylidem (Fr. 13: 1) *ἵκτει δέ τε θνατοῖσιν εἰράνα μεγάλα* (Bergk *μέγαν* mavult) *πλοῦτον*, tamen mihi non videtur verisimile, duas appositiones, quæ inter se nullis interjectis vocabulis disjungantur, alteram ad unum nomen, alteram ad omnia, quæ præcedunt, nomina spectare posse. Neque Mommseno magno est adjumento illud *τάμιαι* (accentu retracto), quod Ol. 14: 9 ante correctionem est in codice, qui litera Q signatur. Rectum credo Ahrentem vidisse, qui *ιαι* "synizesi" in unam coaluisse syllabam putat. Ita autem *ταμίαι* inter exempla vocalis *ι* in semivocalem *ι* translatæ, de quibus antea verba feci, referendum est; *αι* ante vocalem sequentem corripitur.

Mihi igitur *Πέλλανα* et *Κύκνεια* sola sunt exempla correptionis femininorum. Nunc ad masculina transimus, de quibus minus est dubium. Certa enim videntur: vocativus *Εὐξενίδᾰ* N. 7: 70, quem tuentur omnes codices; nominativus *Ἀλκιμίδᾰ* N. 6: 60, quem pro codicum lectione *Ἀλκιμίδας* restituerunt Mommsen et Bergk (Schmid, Hermann, Boeckh scribunt *Ἀλκιμίδα ὅ γ' ἐπάρχεσε κλειτὰ γενεά*); *Ὀρσοτριαινα* Ol. 8: 48 (in B. *ὀρσοτριαίνα*), *ὀρσοτρίαιναν* P. 2: 12 (in omnibus); *Ἀγλαοτρίαιναν* Ol. 1: 40 (in A. *ἀγλαοτριαίνᾱν*); *Εὐτρίαιναν* Ol. 1: 73 (in aliquot vetustis *εὐρυτριαίναν*, in plerisque vetustis et apud Tricl. *εὐρυτρίαιναν*); (*ὀρσοτρίαινα* N. 4: 86, quod est in codicibus, in genitivum *Ὀρσοτριαίνᾱ* correxit Ceporinus); denique *βαθυμῆτα* N. 3: 53 (in tribus vetustis *βαθυμήτα*), *χρυσοχαῖτα* P. 2: 16 (in codicibus vetustis *χρυσοχαίτας*).

De terminationibus *α* et *ας* vocum in *-ευς* desinentium.

Terminationes accusativi in vocibus per *-ευς* exeuntibus quanam ratione sint ortæ et qua utantur mensura, inter grammaticos non satis convenit. Ahrens a dialecto Homerica profectus, ubi per *-ῆα, -ῆας* semper exeunt accusativi appellativorum, sæpissime nominum propriorum, contractio autem in *-ῆ* raro admittitur (Nauck contractionem prorsus negat), docet (Formenl. §§ 30 n. 3, 174 n. 1) stirpes harum vocum a principio per *ηυ* exiisse et figuras Atticæ declinationis (excepta *-εῖς*) ex epicis ortas esse. Curtius autem (Erl. p. 66) stirpem per *εϝ* (*ϝ*),

non per -ην (ηϝ) exiisse contendit, in epicis figuris per -ῆα, -ῆας exeuntibus propter digamma amissum vocalem præcedentem productam, ex epicis autem formis metathesi quantitatis figuras Atticas esse profectas. Curtium sequitur Kuehner Gr. Gr. p. 139, ad Ahrentem autem propius accedit G. Meyer, qui (§ 340) hanc formarum seriem proponit: βᾰσιλῆϝος, βασιλῆος (boeot. βασιλεῖος), βασιλέος (att. βασιλέως); cfr. § 321. — De mensura terminationum -α et -ας plerique parum copiose disputant. Homericum -έα qua fuerit mensura, Ahrens præterit, neque de iis accusativis, qui apud Atticos per brevem exeunt syllabam, verba facit. Curtius observavit, α in -έα et -έας apud Atticos sæpe corripi. Krueger addit productionem terminationis pluralis in dubitationem vocatam esse (I: 18: 5: 4). Kuehner autem (§ 128, n. 2) singularem terminationem apud poetas raro, in communi sermone ("in der gemeinen Mundart") plerumque correptam esse docet. Meyer (§ 330) primus ostendit Homerum in -έα semper α corripuisse. Neque aliter res se habet apud Pindarum. Exempla, quæ huc pertinent, non sunt multa. Inter voces enim per -ευς exeuntes, quarum pleræque sunt nomina propria, multæ in accusativo non leguntur; in aliis -έα in -ῆ contrahitur (Ἀλκυονῆ N. 4: 27, I. 5: 33, Ὀδυσσῆ N. 8: 26); quater epicæ terminationes -ῆα, -ῆας inveniuntur (βασιλῆα Ol. 1: 23, 13: 21, N. 7: 82; βασιλῆας P. 3: 94); ἱερέα P. 2: 17 excipiunt consonæ κτ. Quæ quum ita sint, de quattuor solis singularibus et de uno plurali est mentio: Ἀγυιέα P. 9: 65, Ἀχιλλέᾰ Ol. 2: 79, βασιλέ' (βασιλέα) P. 4: 62, Πηλέᾰ N. 5: 26 (Ὀρφέα in fine versus est Fr. 116: 9); ἀριστέᾰς I. 7: 55. Ubique -α et -ας sunt brevia. — Plane eadem est ratio in carminibus Hesiodi, ubi inveni: Ἐπιμηθέᾰ Op. 84, Θησέᾰ Scut. 182, Ἰλέᾰ Fr. LXXVII: 1, Καινέᾰ Scut. 179, Νηρέᾰ Th. 233, Ὁπλέᾰ Scut. 180, Προμηθέᾰ Th. 521, Τυφωέᾰ Th. 821; appellativorum in -έα desinentium nulla inveni exempla apud Hesiodum. — Neque aliter res se habet apud Theocritum, qui epicis terminationibus -ῆα -ῆας plerumque utitur, bis autem -εᾰ admittit: Θησέᾰ 2: 45, ἀμολγέᾰ 8: 87 (numquam -έᾱ). Apud Alcæum Ἀχιλλέα in fine versus legitur Fr. 48 A.

Quæ quum ita sint, quamquam usum ceterorum poetarum non exegi, nescio an G. Meyer (§ 330) jure suo contenderit -έᾱ et -έᾱς Atticorum sermoni peculiaria fuisse.

De terminatione dativi sing. tertiæ declinationis.

Apud Homerum dativos singulares tertiæ declinationis interdum per longum iota exiisse Spitzner et Hoffmann jam dudum suspicati sunt; deinde de hac re disputarunt Hartel I: 419—422 et Knös p. 18. Producitur autem hoc iota non solum ante liquidas sed etiam ante mutas et in omnibus thesibus (præter primam). Quam sit firma hæc terminatio apud Homerum, etiam inde appareret, quod numquam fere eliditur, sæpe autem in hiatu invenitur. Quum autem has productiones ad vim cæsuræ revocare non liceat (leguntur enim etiam ante vocabula enclitica), Hartel, Meyer (§ 345), al. putant hoc iota natura longum et a brevi iota locativorum a principio sejunctum esse; neque aliter judicat Curtius, Grundz. p. 707 not. — Post ætatem autem Homeri hos dativos in ῑ desinentes prorsus sustulerunt locativi per breve ι exeuntes; apud Pindarum certe productæ vocalis nullum est vestigium; ne ante mutam cum liquida quidem sæpius longa est quam brevis (cfr. pag. 107); in hiatu semel est (I. 1: 28); elisionis hujus vocalis nullum est certum exemplum apud Pindarum.

De adverbiis oxytonis per ι exeuntibus.

Adverbia oxytona, quæ per ι exeunt, inter terminationes ancipites retulit Knös p. 19; cfr. Buttmann. Gr. Gr. II: 453. Apud Pindarum nulla nisi *ἀβοατί* N. 8: 9 et *ἐγχονητί* N. 3: 36 inveni; quod utrumque per brevem vocalem exit.

Appendix I.

Quo exitu utantur cola dactylica, quæ aut in fronte versuum aut mediis in versibus leguntur.

Quæ mihi, propter I. 2: 43 *ἀμφιχρέμανται ϝελπίδες* cola dactylica quomodo exirent apud Pindarum exquirenti, assequi visus sim, hic proferam. Ne autem molesta plus quam mille, quos annotavi, locorum enumeratione legentes defatigem, nihil nisi ipsas summas in medium proponam.

	Exeunt per catalexim		Exeunt per spondeum		Exeunt per trochæum in primo systemate		Exeunt per trochæum, sed non in primo syst.		Summa	
	in colis	in versibus	in colis	in versibus	in colis	in versibus	in colis	in versibus	colorum	versuum
dimetri dactylici	13	67	6	38					19	105
dimetri dactylici ab anacrusi incipientes	2	8							2	8
dim. dact. ab anacr. duarum brevium incipientes			2	11					2	11
trimetri dactylici	12	94	103	655	13	13	10	12	138	774
trimetri dactylici ab anacrusi incipientes	4	14	18	84	3	3	1	1	26	102
trimetri dactylici a basi anapæstica incipientes			1	5					1	5
trim. dact. a basi trium brevium incipientes			1	4	1	1			2	5
tetrametri dactylici	1	10	8	58	1	1			10	69
etrametri dactylici ab tanacrusi incipientes	2	11	1	13					3	24
pentametri dactylici			1	10					1	10
Summa	34	204	141	878	18	18	11	13	204	1113

Ea solum cola, quæ per trochæum exeunt, oculis eorum, qui legent, subjiciam.

Per trochæum exeunt:

A. **In primo systemate:**

a) *Trimetri dactylici* (– ⏑ – ⏑ – ⏑) Ol. 8: 1, 11, 16, 17, 20, P. 1: 14, N. 5: 16, 8: 13, 11: 1, 12, I. 1: 2, 2: 4, 5: 22.

b) *Trim. dact. ab anacrusi incipientes* (⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑) P. 1: 4, N. 5: 13, I. 2: 1.

c) *Trim. dact. a basi trium brevium incipiens* (⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑) Ol. 7: 16 (cfr. Momms. annot. crit.).

d) *Tetrameter dactylicus* (– ⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑) P. 4: 4.

B. **Non in primo systemate:**

a) *Trimetri dactylici* Ol. 8: 42, P. 12: 31, N. 8: 30, 10: 65, I. 1: 37, 2: 27, 3: 44, 56, 62, 75, 82, 5: 47.

b) *Trim. dactyl. ab anacrusi incipiens* I. 3: 35.

His numeris pauca habeo, quæ addam.

Spondei in fine eorum colorum, de quibus nunc quæritur, dactylicorum duodetricies sæpius inveniuntur quam trochæi (878: 31). Sed ex his triginta uno exemplis, quæ per trochæum exeunt, segreganda sunt primum duodeviginti, quæ in stropha, antistropha, epodo primi systematis leguntur. In primo enim systemate poetam libertati cuidam sive negligentiæ indulsisse jam satis constat; neque hæc licentia in dactylicis tantum colis comparet, sed etiam magis in epitritis. Videntur numeri nondum satis certam normam accepisse. Deinde ne hi tredecim quidem versus, quorum cola dactylica in aliis systematis per trochæum exeunt, prorsus intacti relinquendi sunt. Primum enim N. 10: 65, I. 2: 27, 3: 82 nominum propriorum licentia defenduntur, quæ quidem quanta fuerit apud poetas Græcos nemo est, qui ignoret. Deinde N. 8 Alexanderson (p. 249) inter ea carmina affert, quorum numeros dactylo-epitriticos syllabis finalibus correptis aliisque licentiis admissis ad numeros logaoedicos accedere putat (mirum in modum p. 248 idem vir doct. dicit, in carmine N. 8 numeros dactylo-epitriticos diligenter et summa constantia esse servatos: "rytmen är strängt daktyloepitritisk"). Et re vera eadem videtur esse ratio carminis I. 3, in quo correptæ sunt quarta syllaba epitriti str. 1 (v. 19 bis), ep. 3 (v. 15), ep. 4 (v. 34), ep. 5 (vv. 17, 35), ep. 6 (v. 90), et ultima syllaba coli dactylici str. 2 (vv. 44, 56, 62), str. 3 (v. 75), str. 4 (v. 82), ep. 5 (v. 35); dissolutæ autem sunt in binas breves thesis dactylica v. 63 et secunda longa epitriti v. 72. — In I. 5 præter vv. 22, 47 una solum invenitur anceps, v. 63 in nomine proprio; prima autem longa epitriti primi str. 7 semper est soluta, item thesis tertii epitriti vv. 32, 41, 57, 66. — Denique P. 12: 31 Mommsen, I. 1: 37 M. Schmidt conjecturas proposuerunt.

Utut est, hæc tam pauca exempla nihil valent contra nongenta fere, ubi spondeus legitur. Quamobrem non dubito I. 2: 43 *ἀμφιχρέμανται ἐλπίδες* ad vim digammi servatam referre, præsertim quum inter tredecim illos trochæos, qui ad licentiam poetæ revocandi sunt, non duo inveniantur eodem ejusdem carminis loco, exceptis I. 3: 44, 56, 62, de quo carmine supra verba feci.

Appendix II.

De ν paragogico apud Pindarum.

Ν paragogicum, quod quibusdam vocibus et figuris Græcis addi solet, unde ortum sit, non satis liquet. Krueger (Gr. Gr. I: 11: 14) hanc literam a prin-

cipio certis vocibus et figuris suffixam ("es gehört den erwähnten Formen und Wörtern ursprünglich an"), ante consonas autem postea ejectam esse contendit. Jam antea Buttmann (Gr. Gr. § 26: 3: 2) conjecerat, figuras litera *ν* instructas vetustiores esse. — Kuehner autem (I: 227) in contrarium vitium delapsus hanc literam nusquam nisi in adverbiis per *-θεν* exeuntibus ipsius vocis esse docet. Quæ tamen adverbia quomodo orta sint, nondum est explicatum. Neque semper *ν* his adverbiis est suffixum; in adverbiis enim ex præpositionibus ortis mobile est; ne in iis quidem, quorum origo ex substantivis deducitur, semper stabile et immotum est. Omnino veri similius videtur, *ν* aliis in figuris aliam habere originem, quamquam confitendum est, ubi paragogicum sit, ubi non sit, non satis liquere. — *κέν* formam vetustiorem esse quam *κέ* Hugo Weber (Die dor. Part. *κα*), Arcadicam formam *κάν* proferens, ostendere studuit, probantibus Gelbkio p. 12, Curtio (Grundz. p. 56), G. Meyero (Gr. § 306), quamquam hic (§ 22) et Arcadicum *κάν* (*κἄν*?) et Doricum *κά* a *κέ κέν* abhorrere suspicatur. — Plerisque etiam *νῦν* prior, *νύ* posterior forma esse videtur. — Figuras per *φιν* exeuntes Meyer (§ 385) aut casu aut numero ab iis, quæ in *-φι* desinunt, alienas esse opinatur, quamquam Homerus *-φιν* et *-φι* promiscue usurpat. — Si eundem sequimur auctorem primariæ formæ dativorum pronominum sunt *ἄμμιν ὔμμιν* (§ 421). — Si dativi per *-σι* exeuntes a locativis Sanscritæ linguæ in *-su* desinentibus non sunt alieni, necesse est literam *ν* (*-σιν*) pro paragogica habeamus. — Temporum autem primariorum personas tertias et singulares et plurales ab origine per *-τι*, non per *-τιν* exiisse, pro certo statuere licet. — Quod Pott, Leo Meyer, Christ putant in tertia persona sing. temporum præteritorum *ν* paragogicum in locum *ι* consonæ, per quam has formas olim exiisse constat, successisse, omnino non verisimile videtur. — Quomodo autem origo hujus literæ paragogicæ ab analogia falsa, quam dicunt, et ab singulari consonæ nasalis natura et sono repercusso repetenda sit, Meyer § 306, Curtius Grundz. p. 56 disputant. Hanc autem consonam a principio non propter sonum sequentis vocis initialem vel rationes metricas additam esse, et ex testimoniis grammaticorum, scriptores orationis solutæ Atticos et ante consonam et ante vocalem dativis pluralibus in *-σι* et figuris verborum tertiæ personæ *ν* paragogicum solitos esse addere, et ex inconstantia usuque instabili titulorum et codicum apparet. — In tabulis Heracliensibus semper leguntur *ἐσί* et *ϝίκασι*; *ν* paragogicum soli accipiunt dativi plurales, sed ii tanta libertate et inconstantia, ut modo ante consonas additum, modo ante vocalem omissum inveniatur (Meister Her. p. 413). — Cauer (pp. 292, 293) magnam hujus literæ inconstantiam in

titulis dialecti Atticæ vetustioris exhibet. Ut additum est duabus verbi figuris medio in versu, ubi metro obstat; neque tamen, ubi neglectum est, Cauer dubitat, quin sit pronuntiatum. Numquam sequenti consonæ initiali assimulatur, id quod idem vir doctus (p. 301) ad vim et naturam ejus levem et quasi subditivam spectare putat. — In titulis vetustioribus Ionicæ dialecti usus late patuisse videtur; Erman (p. 279) multa ν paragogici ante consonas positi exempla enumerat. Rarior est usus in titulis quarto sæculo recentioribus, quamquam certa regula non subest. — In inscriptione Tegeatica ν semel additum, semel ante vocalem neglectum esse auctor est Gelbke p. 34. — Plane eandem usus inconstantiam in dialecto Boeotica fuisse observavit Beermann (p. 59). Paulo aliter Meister (Dial. 1: 125, 258), qui ν neque in titulis Boeoticæ dialecti solutis neque in inscriptionibus Aeolicis vetustioribus inesse docet. — In titulis Thessalicis, qui exstant, plane deest (Meister p. 300). Ex primo tomo Corporis Inscriptionum Græcarum Deventer [1] (p. 32, 33) aliquot congessit literæ paragogicæ exempla, alia ex aliis repetita dialectis; sed et hic et ii, quos paulo supra nominavi, scriptores id tantummodo egerunt, ut ea afferrent, quæ a lege, quam vulgo tradunt grammatici, aliena essent. *Omnia* autem, quæ anno trecentesimo a. Chr. n. sunt vetustiora, literæ paragogicæ et adhibitæ et omissæ exempla ex Corpore Inscriptionum Atticarum collegit Maassen [2], qui ostendit hujus literæ usum ab antiquissimis temporibus usque ad annum 403 a Chr. n. angustioribus finibus circumscriptum paulatim accrevisse, ut sub exitum sæculi quarti ante vocales numquam neque in media oratione neque in pausa orationis, ante consonas rarissime ullum exstet hujus literæ omissæ exemplum. — Quod tamen credit, originem hujus literæ ex "articulandi inertia et facilis pronuntiationis studio" esse repetendam, hoc angustius judicatum censeo. Jure autem commonet poetis non licere potuisse propter difficultates metricas figuras vocum novas et pleniores creare et linguæ obtrudere; "immo vero," inquit, "quod poetæ ante consonam litteram ν adhibuerunt vel firmissimum est argumentum, hunc usum ipsius prosæ orationis proprium fuisse atque inde repetitum a poetis pro re in versu esse usurpatum." Apud poetas enim lex est, ut ν paragogicum ad hiatus tollendos et positionem efficiendam adhibeatur; sed fluctuant sæpe codices. — Quum in Pindaro legendo multis locis de litera paragogica consensum codicum a verborum contextu, quem constituerunt editores, abhorrere viderem, credidi operæ pretium futurum esse,

[1] G. C. Deventer: De litera *N* Græcorum paragogica, Monasterii 1863.

[2] Hedde Maassen: De littera *NY* Græcorum paragogica quæstiones epigraphicæ, Lipsiæ 1881.

si hanc rem diligentius exquirerem, præsertim quum *ν* paragogicum quæstionem de digammo institutam nonnumquam attingeret. Quam ob rem infra omnia exempla Pindarica examinavi; quod nisi eximia in conferendis codicibus sedulitate et diligentia Mommseni fieri non potuisse grato animo confiteor.

Ut apud scriptores Atticos ante majora interpungendi signa, ita apud poetas sæpe in fine versus ad exitum pleniorem reddendum *ν* paragogicum addi solet. Itaque hodie omnes Pindari editores Boeckhium [1] secuti, ubicunque licet, versum per *ν* parag. exire jubent. Quod tamen utrum jure faciant necne, ambigi posse videtur; in codicibus enim Pindari vetustis aliter res se habet. Quinquagies quinquies literam paragogicam in fine versus positam omnes codices testantur; inter quæ exempla *χάριϭσιν* N. 5: 54, *ἄνευθεν* I. 1: 60, *δάμασεν* I. 7: 70 non solum versus sed etiam totius carminis postremam obtinent sedem; septem exempla, omnia per *-θεν* exeuntia (Ol. 3: 28 *πατρόθεν*, P. 3: 52 *πάντοθεν*, P. 4: 192 *ὕπερθεν*, P. 5: 98 *Πυθωνόθεν*, P. 8: 81 *ὑψόθεν*, N. 3: 64 *αὐτόθεν*, I. 4: 34 *πεδόθεν*), excipiunt versus a *consona* incipientes; omnia autem cetera excipit *vocalis* in fronte sequentis versus posita. Huc adnumerandi sunt tredecim loci (Ol. 1: 19 *φρονιϭσιν*, 6: 32 *ἐκέλευσεν*, 8: 49 *τάννεν*, 9: 73 *ἔμβαλεν*, 12: 10 *ἔπεϭεν*, 13: 49 *ἀρεταῖϭιν*, P. 1: 3 *σάμασιν*, P. 4: 109 *φρασίν*, 129 *τάννεν*, 147 *ξίφεϭιν*, P. 10: 9 *ἀνέειπεν*, N. 3: 48 *κόμιζεν*, N. 9: 39 *χεύμασιν*), ubi ante initialem sequentis versus vocalem in plurimis codicibus *ν* additum, in uno vel duobus prave omissum est. Longius scribendi error semel solum patet, Ol. 9: 30, ubi in 6 vetustis codicibus legitur *χεροί* ante *ἀνίκ'*. — Prorsus aliter res se habet, quum a consona incipit versus sequens. Quinquagies septies [2] enim aut omnes aut plurimi vetusti codices *ν* non testantur. Tribus solis locis vitium latius patet, P. 5: 71, N. 6: 44, 7: 35, ubi in plurimis codicibus leguntur *ἄγεν*, *ὄρεϭιν*, *πράθεν*, quamquam versus insequens a consona incipit. Contrariæ autem negligentiæ librariorum debentur et *θεόθε* Ol. 12: 8, *πεδόθε* Ol. 7: 65 (utrumque in B solo) et *ἕνεκε* Ol. 11: 12, N. 3: 83, 10: 3 in nonnullis codicibus, et forma barbara *ἔμιχθε* I. 2: 29 (in codicibus Mediceis). — In codicibus

[1] Boeckh præf. p. 37: "*N* paragogicum in fine versuum, ut in epicis, sic in his lyricis carminibus addendum censui: in mediis versibus ante mutam et liquidam ad augendam syllabæ mensuram non usum eo Pindarum, fidem facit omnium librorum consensus constantissimus." — Bergk præf. ed. sec. "in extremo versu *νῦ* illud ephelcysticon tacite fere adjeci."

[2] Ol. 2: 98, 99, 6: 57, 89, 7: 37, 9: 8, 15, 59, 72, 90, 99, 13: 18, 24, 29, 32, 39, 62, 71, 74, 83, 109, P. 2: 55, 3: 39, 59, 108, 4: 54, 99, 135, 182, 199, 205, 216, 6: 33, 8: 12, 9: 16, 96, 10: 11, 18, N. 3: 37, 81, 4: 29, 32, 61, 5: 28, 6: 38, 60, 7: 39, 9: 41, 10: 8, 16, 74, I. 1: 10, 3: 16, 44, 56, 6: 25, 7: 55.

autem recentioribus, ubi valuerit Byzantinorum doctrina metrica, non est, quod miremur quadam æquabilitate semper fere *ν* paragogicum additum esse; si autem auctoritas veterum sequenda est, ratio Boeckhiana nobis probari non potest.

Inter voces per *-θεν* exeuntes *ν* semper servatur in iis, quæ ad stirpes pronominales referuntur: *ὄθεν*, *σέθεν*, *ὁπόθεν*, *πόθεν*, *αὐτόθεν* (quamobrem *ὅθε σπέρματος* Ol. 2: 46 in codice Vaticano et nonnullis Moschopuleis pro errore habendum est). Eodem modo *ν* immobile est in vocibus, quæ sunt *ἔνθεν*, *ὑπένερθεν*, *ὄπιθεν*, *ἔνδοθεν*. Semper autem leguntur *ἄιερθε*, *ἀπάιερθε*. In nonnullis nunc servatur, nunc omittitur; ut leguntur P. 1: 10 *ἄνευθε λιπών* sed I. 1: 60 *ἄνευθεν* (in fine versus), P. 4: 192 *ὕπερθεν* (in fine versus), Fr. X: 4: 2 *ὕπερθεν ἅλιον*, sed P. 2: 48 *ὕπερθε πατρός*, P. 8: 77 *ὕπερθε βάλλων*, P. 9: 31 *καθύπερθε νεᾶνις*. Omnibus his locis prorsus inter se consentiunt codices; metro probantur *πρόσθε* Ol. 10: 31 (C N O *πρόσθεν*), Ol. 10: 50 (*Σ πρόσθεν*), P. 2: 91 (*πρόσθεν* in septem veteribus); in omnibus codicibus recte traditum est *πρόσθεν* P. 3: 14, 8: 65, N. 9: 15; metro jubente restitutum est I. 3: 89, ubi in vetustis codicibus legitur *πρόσθε*. P. 9: 125 Mommsen, probantibus plerisque codicibus, *πρόσθεν* ante *π τ* scripsit (in quattuor vetustis *πρόσθε*). — *ὄπισθε* contra libros scribit Boeckh Fr. XI: 158; *ὄπισθεν* autem in omnibus codicibus est Ol. 6: 63 (in fine versus). *πάροιθε* est forma Pindarica, quam testantur Ol. 13: 98 omnes, P. 2: 60 plurimi codices; eandem formam Fr. V: 1: 5 editores acceperunt a schol. Hom. Od. 10: 3; apud Strabonem, qui idem fragmentum affert, est *πάροιθεν*. — Consensu omnium codicum *τηλόθεν* scribitur Ol. 1: 94, N. 2: 12, 6: 48, sed N. 3: 81 lectio codicum veterum et Triclinianorum in *τηλόθε* corrigenda est. — I. 3: 79 ambigi potest utrum lectio codicis Vaticani *ὕπερθεν* an Medicei *ὕπερθε* accipienda sit; metrum enim est anceps. — In iis autem vocibus, quæ a nominibus deducuntur, *ν* plerumque moveri non potest. Omissi *ν* tamen nonnulla exstant apud Pindarum exempla, quæ res eo magis digna est, quam animadvertamus, quod in hujusmodi vocibus omissum est apud Homerum uno solo loco, de quo tamen est controversia, apud ceteros poetas rarissime; apud Pindarum omnium codicum consensu legitur N. 7: 70 *πάιραθε*; in omnibus, exceptis Q R, est *πρῴραθε* P. 10: 52; plurimis codicibus resistentibus sed metro postulante P. 4: 102 scribitur *ἄντροθε*; N. 9: 1 [1] nisi in recentioribus non invenitur *Σικυωνόθε*, quæ figura metro confirmatur. *Σικυωνόθε* N. 10: 43, *ματρόθε* I. 3: 17 repugnantibus omnibus codicibus sed postulante

[1] Quamobrem omnes, quos vidi, editores, exceptis Christio et Dissenio, N. 9: 1 *Σικυάνοθε*, N. 10: 43 *Σικυωνόθε* scribant, non intelligo.

metro restituerunt editores. Nulla autem ratio habenda est lectionis Vaticani Ol. 10: 66 *Μιδέαθε στρατόν*; Vaticanum enim in hujusmodi rebus leviorem esse auctorem Mommsen ipse (Suppl. p. 198) animadvertit.

Jam supra vidimus in vocibus per *-θεν* exeuntibus, quæ ultimam versus obtineant sedem, *ν* non ejici, etiamsi a consona versus insequens incipiat; quam ob rem credere licet apud Pindarum has voces *ν* non amittere, nisi ante vocem a consona incipientem brevis syllaba metro postulatur.

Ante mutam cum sequente liquida ad positionem efficiendam a recentioribus Pindari editoribus litera paragogica numquam adhibetur. Cfr. Boeckh. not. crit. p. 509. Ut consensu omnium codicum scribuntur Ol. 1: 47 *ἔννεπε κρυφᾷ*, Ol. 3: 39 *πλείσταισι βροτῶν*, Ol. 7: 52 *ὕσε χρυσόν*, Ol. 10: 65 *ποσσὶ τρέχων*, P. 1: 33 *ἀνδράσι πρώτα*, P. 12: 22 *ἀνδράσι θνατοῖς*, N. 9: 22 *ὄχθαισι γλυκύν*, I. 7: 14 *ἀνδράσι κρέμαται*; ad quæ addi potest Ol. 1: 65 *τοὔνεκα προῆκαν*. Quæ huic legi in paucis codicibus obstant, hæc sunt: Ol. 7: 53 *χερσὶν κρατεῖν* (in uno Moschop.), Ol. 8: 20 *ἐξέν(ν)επεν κρατέων* (in AZ), Ol. 9: 3 *ἄρκεσεν Κρόνιον* (in MF), Ol. 10: 51 *ἄρχεν*, *βρέχετο* (in AD *k* *μ' ν' ο' σ'*), P. 2: 51 *ἔκαμψεν βροτῶν* (in K *α'*), N. 10: 48 *θῆκεν δρόμῳ* (apud Tricl.), N. 11: 7 *σφιν βρέμεται* (apud Tricl.), I. 5: 28 *Τιρυνθίοισιν πρόφρονα* (in *δ'*), ubi editores jure suo *ν* tollunt; ubique syllaba producitur in thesi, exceptis Ol. 7: 52, 10: 51, I. 5: 28. Etiam pejora sunt Ol. 1: 26 *ἔξελεν Κλωθώ* (apud Tricl.), P. 4: 23 *ἔκλαγξεν βροντάν* (in Q), P. 4: 197 *ἀντάϋσεν βροντᾶς* (in I), P. 12: 7 *ἐφεῦρε θρασειᾶν* (in B), ubi ante mutam, quam excipit liquida, brevi syllaba opus est. [1]

Cetera brevi complecti licet. In medio versu *ν* paragogicum ad hiatus tollendos vel positiones efficiendas scriptum ducenties quadragies fere codices omnes ad unum testantur; trecenties autem septuagies recte est omissum in omnibus codicibus (octies ante voces a consonis duabus aut a *ζ* incipientes: Ol.

[1] Aliter res se habere videtur in mediis vocibus junctis, quarum altera pars a muta cum sequente liquida incipit; assentientibus enim omnibus codicibus leguntur *ἄμβροτος* N. 10: 7, I. 7: 30, *ἀμβροσία* Ol. 1: 62, P. 9: 63, *ἀμβρόσιος* P. 4: 299, N. 8: 1, *μελησίμβροτος* P. 4: 15, *ἀλεξίμβροτος* P. 5: 85, *ἐναρίμβροτος* I. 7: 53; quam ob rem corrigenda sunt *ἀλεξιβρότῳ* N. 8: 30 (in D), *ἐναρίβροτον* P. 6: 30 (in DI), *ὀπισόβροτον* P. 1: 92 (apud Tricl.), *πλειστόβροτον* Ol. 6: 69 (in B et nonnullis Moschopuleis), *φαυσίβροτος* Ol. 7: 41 (in R, aliis), *δαμασιβρότου* Ol. 9: 79 (in E). Cfr. Mommsen. Suppl. ad Ol. 6: 101. — De voce, quæ est *ὄμβριμος*, ambigi potest. Legitur apud Pindarum bis, Ol. 4: 7, P. 9: 27; illo autem loco novem, hoc plurimi vetusti codices *μ* omittunt. Apud Homerum plerique *ὄβριμος* legunt; Bekker solus recentioribus Iliadis codicibus nisus *ὄμβριμος* mavult: cfr. de hac voce Curt. Grundz. p. 521.

3: 22 *θῆκε ζαθέοις*, 32 *θάμβαινε σιαθείς*, Ol. 10: 27 *πέφνε Κτέατον*, 61 *ἔλαχε στέφανον*, 71 *ἔλασε σκοπόν*, P. 4: 191 *ἄμβασε σιραιόν*, N. 10: 79 *ἔννεπε· Ζεύς*, I. 1: 20 *γυμνοῖσι σιαδίοις*; eodem modo editores scribunt Ol. 8: 26 *ὑπέσιασε ξένοις*, 83 *σφι Ζεύς*, P. 1: 13 *πεφίληκε Ζεύς*, quamquam Ol. 8: 26 in FGV, Ol. 8: 83 in plerisque vetustis, P. 1: 13 apud Triclinium *ν* additum est). Neque tamen errorum numerus parvus est. Centies sexagies quater *ν* paragogicum, quum addi deberet, omissum est aut in omnibus aut in plurimis codicibus vetustis. [1] Septuagies fere hic error minus patet, ut in plerisque codicibus *ν* scriptum inveniatur. Magnæ librariorum negligentiæ debentur *ἔφθαρε* P. 3: 36 (in sex vetustis), *μῖγε* (*μίγε*) P. 4: 251 (in MCQ), *συνεύνασθε* P. 4: 254 (in DEI), *δμᾶθε* P. 8: 17 (in E. F), *βάρυνθε* N. 7: 43 (in D); eodem modo in fine versus *Λάχεσι* Ol. 7: 67 (in P, quem tamen codicem Mommsen ipse non inspexit.) — Ut rarius, ita multo minore codicum consensu in medio versu *ν* paragogicum perperam *additum* est. Septies decies hunc errorem unus solus codex vetustus exhibet (præcipue annotandum est *ἔθυεν* Ol. 10: 57 in optimo codice), undevicies Triclinius solus, quater Moschopulus; bis (Ol. 7: 84, N. 3: 47) error nisi in editionibus vetustioribus non invenitur; quinquies fere et vicies nonnulli vetusti codices *ν* testantur (*πόρεν* P. 3: 45 novem codices, *κεν* P. 3: 76 undecim). Si quis autem quærit, quidnam sit, cur paragogicæ literæ perperam additæ exempla tam pauca, prave omissæ tam multa sint, causa mihi videtur in eo posita esse, quod veteres consonam nasalem in fine vocis apice supra vocalem præcedentem posito sæpe designabant; qui quam facile in libris describendis omitti potuerit, nemo est quin videat.

Hanc de *ν* paragogico institutam quæstionem quodam modo ad digamma pertinere, apparet. Nonnumquam enim in versibus *ν* paragogicum scriptum est ante vocem, quam olim a digammo incepisse satis constat. Tum autem quæri potest, quomodo scribendum sit. Bekker in editione carminum Homericorum semper ante eas voces *ν* ejecit, quæ quidem quin aliis locis Homericis a digammo inciperent, dubitari non posset. Etiam Sachs (pag. 41) hanc tam levem muta-

[1] Exempli gratia carmen P. 4 persequar; prave omissum est *ν* in his: v. 28 *ἐπῆλθεν*, 33 *κώλιεν*, 36 *ἀκταῖσιν*, 41 *θεραπόντεσσιν*, 51 *λέχεσιν*, 60 *ὤρθωσεν*, 62 *ἄμφανεν*, 69 *σφισιν*, 79 *αἰχμαῖσιν*, 86 *εἶπεν*, 99 *ἐξανῆκεν*, 107 *ὤπασεν*, 126 *ἶκεν*, 133 *σιγγενέσιν*, 143 *τρίταισιν*, 148 *ἀκόντεσσιν*, 155 *ἄμμιν*, 156 *ἀνταγόρευσεν*, 167 *ἄμμιν*, 181 *ἔντινεν*, 184 *ἡμιθέοισιν*, 202 *ὑπεχώρησεν*, 212 *Κόλχοισιν*, 220 *δείκνιεν*, 227 *πέλασσεν*, 229 *ἔειπεν*, 237 *ἴυξεν*, 250 *κλέψεν*, 259 *ἔπορεν*, 264 *κεν*, 267 *κιόνεσσιν*, 281 *παισίν*, 287 *ἔγνωκεν*. Omnibus autem his locis ad positionem efficiendam *ν* opus est.

tionem pati videtur. Neque in carminibus Pindari Peter (p. 23 n.) ab hac scribendi ratione prorsus abhorret. Quod tamen mihi non placet. Summo enim jure Leskien (p. 49) negat nunc dijudicari posse, utrum *ν* paragogicum eo tempore, quo carmina conderentur, ab ipso poeta appellatum sit, an ætate posteriore, digammi memoria obsoleta, a librariis sit additum. Quod si de Homero ipso verum est, facile apparet in carminibus Pindari, ubi vis digammi multo minor sit, etiam cautius rem esse agendam. Quamobrem, ut in carminibus Homericis Hartelio, ita mihi in digammo Pindarico examinando optimum visum est, omnia exempla, ubi voci, quam aliis locis apud Pindarum a digammo incepisse inveni, antecedit vocabulum per *ν* paragogicum exiens, prorsus omittere; quæ sunt Fr. II: 6 *χερσίν, ἄναξ*, Ol. 1: 109 *κεν ἔλπομαι*, I. 7: 45 *ἀθανάτοισιν· ἐπέων*, P. 4: 105 *κείνοισιν εἰπών*, P. 6: 41 *ὁπλοτέροισιν, ἔργον*, N. 6: 30 *σφιν ἔργ'*, P. 4: 6 *χρῆσεν οἰκισιῆρα*, N. 4: 84 *βασιλεῦσιν ἰσοδαίμονα* (P. 11: 13 *ἔμνασεν ἑστιᾶν*, Ol. 5: 5 *ἐγέραιρεν ἑορταῖς*, Ol. 10: 58 *ἔστασεν ἑορτάν*, I. 3: 11 *βάσσαισιν Ἰσθμοῦ*, I. 5: 14 *τοίαισιν ὀργαῖς*).

Summarium eorum, quæ hac commentatione continentur.

I. **De digammo Pindarico** . . . . . pp. 1–89.

A. **Exordium** . . . . . „ 1–12.

De digammo universo quid statuendum sit pp. 1—4. — Quibus rationibus ad digamma Pindaro attribuendum adducamur pp. 4, 5. — De hiatu Pindarico pp. 6—8. — De diphthongis et longis vocalibus in fine vocis ante vocalem correptis p. 8—11. — Qua ratione in hoc libro conscribendo usus sim pp. 11, 12.

B. **Recensentur vocabula Pindarica a ϝ incipientia** . . . . . „ 12–46.

(ϝ)*άναξ*, cet. pp. 12—15. — Rad. *ϝαχ* p. 15. — (ϝ)*είκοσι* pp. 15, 16. — *ἑκών*, cet. pp. 16—18. — *ϝιλιάδας* pp. 18, 19. — (ϝ)*ελπίς*, cet. pp. 19, 20. — (ϝ)*έπος*, cet. pp. 20—24. — (ϝ)*ερέω*, cet. pp. 24—27. — (ϝ)*έργον*, cet. pp. 27—31. — (ϝ)*εσθάς*, cet. pp. 31—33. — (ϝ)*εσπέρα*, cet. pp. 33, 34. — (ϝ)*έτος*, cet. pp. 34, 35. — (ϝ)*οἶδα*, cet. pp. 35—38. — (ϝ)*έοικα*, cet. pp. 38—40. — (ϝ)*οἶκος*, cet. pp. 40—43. — *ἴον*, cet. pp. 43—45. — (ϝ)*ἶσος*, cet. pp. 45, 46.

C. **Recensentur vocabula Pindarica a σϝ olim incipientia** . . „ 46–61.

(ϝ)*ανδάνω*, cet. pp. 46, 47. — Stirps pron. tert. pers. pp. 47—61. — (ϝ)*ῆθος*, cet. p. 61.

D. **Recensentur vocabula Pindarica a ϝϱ incipientia** . . . . . „ 61–64.

(ϝ)*ῥήγνυμι*, cet. pp. 61—63. — (ϝ)*ϱιγέω* p. 63. — (ϝ)*ϱίπτω*, cet. pp. 63, 64.

E. **Recensentur a) duæ voces, quæ num apud Pindarum digamma ostendant, dubium videtur; b) aliquot vocabula, quorum digamma initiale aut est dubium aut falso additum est** . . . . . „ 65–76.

a) *ἑστία* pp. 65, 66. — *ἵς*, cet. p. 66.

